

FRANCISCI GRIMALDI SOCIETATIS JESU

DE VITA OECONOMICA

LIBRI TRES

Cum Adnotationibus Aristotelicis.



ROMAE

APUD JO: MARIAM SALVIONI

M. DCC. XXXVIII.

Superiorum facultate.

Illuſtriſs. & Excellentiſs. Marchioni

PETRO FRANCISCO

GRIMALDI· GRANATA

FRANCISCUS GRIMALDI S. D.

F*Actum eſt peropportune*, MARCHIO EXCELLENTISSIME, *ut eo potiſſimum tempore, quo nuptiæ plenæ ſplendoris. ac dignitatis inter te, ac præſtantiſſimam feminam, ex inclyta Duratiorum gente delectam celebrarentur; ego in hujus*

operis, quod Oeconomica inscribitur, conficiendi labore versarer. Itaque, hoc tam læto nuncio accepto, statim, pro eo ac debui, gratulatus sum; auctorque fui musis meis, ut opus, quod affectum haberent in manibus, ac nondum perpolitum, quoquo modo perficerent; illudque tibi inscribendum curarent, meæ in te benevolentiæ pignus certissimum, debitum virtutum tuarum monimentum, meæ denique in te observantiæ testem sempiternum. Et quanquam in hoc perdifficili regendæ familiæ munere, monitores habes domesticos, hinc Parentem tuum, optimum, ac præclarissimum virum, illinc Ansaldum patruum, duo clarissima Genuensis Reipublicæ lumina; tamen patere hos inter, non tam me, qui nullus sum, quam præstantissimos totius antiquitatis Philosophos Platonem, Tullium, Aristotelemque in primis, qui de re familiari scripsit, versari; cujus ego præcipue vestigia sequutus, quæ illi sparsim pluribus in locis disseminata reliquerunt, unum in volumen redegi, ac poeticis hilaritatibus inspergenda curavi; quæ, vel perpetuam præceptorum gravitatem temperarent, vel legentium, si quod esset, occurrerent fastidio. Verum, de his meis vigiliis, quas fortasse grata Posteritas non omnino improbabit, aliorum esto judicium; de tuis maximis, eximiisque virtutibus vel in hoc ju-

ventu-

ventutis flore, non tam pubescentibus, quam perfectis, atque maturis, meum erit judicare. Nam, ut illa omittam, quæ a natura magis sunt, quam aut industria, vel arte quæsita, præclaram nimirum indolem tuam, commodum, atque uber ingenium, celerem, occurrentemque memoriam, statum corporis erectum, frontem explicatam, naturalem quandam dicendi vim & copiam; quæ qui ab ipso ortu arripuerunt, ii præ cæteris a natura commendati, ac peculiari munere ornati nasci videntur: ut sileatur de præstantissima tuæ familiæ nobilitate, quam & pervetustæ opes, & excellens Proavorum virtus toto orbe memorandam effecerunt; quorum ob egregiam operam in Granatensi præsertim regno positam, Hispaniensium Magnatum jus vobis collatum est, & nunc etiam Granatæ nomen cognomento vestro adjectum videmus: ut nihil dicam de præclaro talium ornamentorum usu, quæ tu non turpi otio corrumpenda reliquisti, sed in quæstum conferens multo honestissimum, solidam tibi Rhetoricarum, Philosophicarum, Mathematicarum rerum cognitionem comparasti; cum esses interim in juris civilis, in historiæ, ac linguarum peritia summa cum laude versatus: ut nec etiam illa attingam, quæ, quanquam non tam animi virtutes sunt, quam corporis, tamen cum in

iis,

iis, qui isto loco, atque ætate sunt, qua tu nunc es, videntur, jure laudantur, equitandi, saltandi, hastam vibrandi dexteritatem; quæque, ut tempore pacis optimum civem ornant, sic belli tempore optimum militem possunt instruere: ut hæc, inquam, aliaque prætermittam; unam illam silere nullo modo possum prudentiam tuam, quam, dum hic nobiscum institutionis causa versarere, perpetuam tuarum actionum tesseram esse voluisti; quæ, quanto minus ab ea annorum viriditate fructus erat expectandus, (est enim illa plurium annorum opus, multarumque virtutum) tanto magis eos, qui tuam adolescentiam excolerent, cum arbusculam novi generis in tam fertili tui ingenii solo succrescentem viderent, admiratio quædam caperet, summa cum voluptate conjuncta. Nam, quod ab omnibus tui ordinis æqualibus amarere; te unum omnes, quem imitarentur, deligerent; te unum omnibus comem, jucundumque præberes; simulque gravitatem quandam tui propriam levioribus his virtutibus admisceres; cum & circumspectus in verbis esses, & singularem adhiberes in comprimendis animi tui motibus diligentiam; atque hoc esset idem de te provectiorum ætate Patrum judicium, qui multo ante, qualem Genuensi Reipublicæ Senatorem designares, quan-

tum

tum tuæ nobilissimæ familiæ decus esses allaturus, cognitione præverterent; an non opus hoc fuit tuæ prudentiæ præclarissimum, quæ, & præsentem animi tui moderationem significaret, & reliquos vitæ fructus, cum maturior ætas accessisset, polliceretur uberrimos. Quare, ut conspecto aliquo signo; aut pictura egregie facta, hæremus primo, mox illam per partes probamus, excellentis deinde artificis, qui illam fecerit, laudamus industriam; sic mihi tecum quodammodo contigisse visum est, qui, ut te primum cognovi, statim probavi; deinde, ut frequens usus accessit, ac paullo familiarior communicatio, virtutum tuarum effigiem propius contemplatus, eo te amoris genere colere cœpi, qui, & tantis animi tui ornamentis debitus esset; eique præsertim, quem mei amantissimum semper cognossem; meorumque studiorum æstimatorem præcipuum, plusculum fortasse in hoc amori in me suo, quam veritati indulgentem. Cum itaque divina quædam sors, meæ in te jam virum, ac patremfamilias observantiæ testificandæ tam præclaram occasionem, hujus Oeconomici operis nuncupatione, obtulisset, an non illam statim arripere, ac summo studio complecti deberem?

At ne quis forte suspicetur, dum tibi nunc Oeconomiam offero, sordidum me vitæ genus offerre,

ferre, (sunt enim quidam, qui aliorsum, ac res est, tum Politicam, tum Oeconomicam facultatem interpretantur; atque ut primam ad fallendum utilem, sic alteram ad sordide, illiberaliterque vivendum factam arbitrantur) sine me, quaeso, oratione a te tantisper avocata, quid Oeconomica sit, paucis complecti; quae res, quamvis notissima tibi sit, non erit, ut spero, memoratu injucunda; quod, quarum virtutum pergratus nobis usus est, earum commemoratio ipsa delectat. Est hoc fato pecunia, ut hinc potissimum exordiar, ut saepe in eorum manus incidat, qui, qui sit in pecunia fructus, prorsus ignorant. Quare ut optimus gladius optimo militi, praestantissimus equus ei, qui optime illum regere, ac circumflectere sciret, deberetur; sic, quo quisque melior esset, ac virtute praestantior, eum nummatiorem esse oporteret, ac fortunae bonis magis circumfluentem. Sed quia raro fortuna cum virtute consentit; cum pecunia in stultorum hominum manus devenit, quid hoc est aliud, quam gladium furioso, equum indomitum, atque intractatum malo sessori esse commodatum? ex quo utriusque pernicies sequitur, interitusque certissimus.

Hinc bene Themistocles (a) *cum de filia collocanda ageretur, illam non tam pecunioso viro, sed*

(a) Tullius de Offic. 2.

ſed ſtulto; quam pauperi, verum ſapienti collocare voluit, quod diceret, malle ſe virum, qui pecunia careret, quam pecuniam, quæ viro. Et ſane, cum nonnullos videas, in præclara licet re ſordide, miſereque vivere, non ſolum genium defraudantes ſuum; ſed naturæ neceſſitatibus aliquando minus inſervientes; an non ſtatim intelligas, ubi hæc eveniant, pecuniam eſſe ſine viro; ſine capite, ſine conſilio, nullas poſſeſſori ſuo vitæ commoditates præbentem, ad quas ſit inſtituta? Id quod de rege Mida fabulati ſunt olim Poetæ, quem in maxima licet auri copia, fame periiſſe conſtat.

Sed, cum illiberale hoc vivendi genus, multis multorum probris ſit expoſitum; eumque, qui ſic faciat, tanquam immanem, ac venenatam belluam, omnia vorantem, ad omnia cupiditatis oculos adjicientem perhorreſcant; vertunt ſe alii in alteram partem; atque honeſtiſſimas opes, majorum induſtria comparatas, non ſolum non augent honeſta aliqua ratione, quod poſſunt, ac debent, ut acceptus a majoribus familiæ ſplendor per totam gentem aliqua luminis acceſſione continenter eluceat; ſed temere profundunt univerſas in helluationibus, in ludis, in theatris, in profuſis denique largitionibus; fortaſſe hac ſpe illecti, quod quemadmodum avari in odio ſunt apud omnes;

 ſic

sic se dum prodigos prabent, ac profuse liberales, amatum iri confidant, ac studiis hominum honestandos; quae aliquando consequuntur; nam, ut inquit ille (a), *prodigi amantur; sed eo fortasse amoris genere, quo* (b) *gulosus turdum amat, aut ficedulam; ebriosus amphoram boni vini ex Insula Chio, aut Coo devecti; quae quidem amant, sed sibi; amant, sed ut conficiant, comedendo alter, alter bibendo. An non hoc est, pecuniam viro indigere? An non hoc est, ut Danai regis filiae apud inferos perforato cribro hauriunt aquas, quas statim effundant; sic ab illis, rem aliorum labore quaesitam, misere spargi, profundi, ac dissipari?*

Itaque optandum esset, atque omni ratione curandum; ut, nec qui vere vir esset, pecunia indigeret, nec virum pecunia desideraret; atque aliqua ejusmodi daretur disciplina, per quam homines perutilem hanc viri cum pecunia conjunctionem edocerentur, ac consequi possent; quod si esset, quot insignia magnificentiae opera, partim ad domesticum splendorem, partim ad publicum pertinentia, quotidie viderentur in Republica!

Atqui hoc docet Oeconomica facultas; cujus munus est proprium, pecuniam, caeteraque instrumenta

(a) Aristot. Ethic. (b) Similitudo ex S. August. desumpta.

menta alendæ familiæ necessaria non solum comparare, sed etiam comparatis uti; hominem instituere non omnia parcentem, timideque administrantem; sed genio aliquando indulgentem, hilareque viventem; a profusis juxta sumptibus, ac sordibus abhorrentem; illudque Ennii in primis habentem præ oculis (a); *sic vicino de sua face lumen accommodandum; ut ei tamen, qui dedit, lucere possit; ne, cum alteri dederit, ipsi extinguatur; sic, & benefaciendum aliis, & commodandum de suis fortunis esse; sic tamen, ut res familiaris ei supersit, qui sit impertitus. Neque enim alia ratione, aut materia liberalitati subministrari posset, aut magnificentiæ, cæterisque virtutibus multo, copiosoque apparatu indigentibus, nisi fundum semper uberem, semper paratum Oeconomia præberet. Itaque, & privatorum hominum illa virtus est, & Principum maximorum. O præclaram igitur disciplinam, quæ nos ista doceat! at hæc docet tantummodo? quin multo utiliora, ac præstantiora proponit. Quid enim magis expetendum in vita est, quam familias in unaquaque civitate florentissimas, ac beatissimas esse, nobilium præsertim virorum, ex quibus Senatus, ex quibus consilii publici participes prodire debent, quod ex illis præcipue status civitatis*

(a) Tullius lib. 1. de Offic.

vitatis componitur? Atqui, nisi privatorum in domibus pax floreat & concordia; nisi in matrimoniis copulandis delectus cautus adhibeatur, & diligens; nisi in prole educanda, optima institutionis ratio servetur; nisi in illos denique, quibus ad res familiares necessariis utimur ministris, lene simul, ac forte adsit imperium, non magis posset contingere; quam, si quis nullas, aut malas arbores in agro suo cum sevisset, optimos deinde fructus speraret se posse colligere; quod vani hominis esset, & a rationis proposito prorsus aberrantis.

Quare, bene ac sapienter, qui de recte ordinanda civitate scripserunt, non ante id fecisse deprehenduntur, quam, quæ ad domesticam disciplinam pertinerent, digessissent omnia; quod Oeconomica facultas cum Politica connexa sit, & cohæreat; quod nullum diuturnum imperium, nulla diu florere possit Respublica, nisi privatorum domus recte se habeant, quæ elementa quædam sunt, ac primordia civitatis.

Quod si mihi in re minime dubia exemplis utendum putarem, ab hac Republica vestra, MARCHIO EXCELLENTISSIME, *non discederem. Quod enim illa floret, quod viget, quod dominatur; quod in tanto seculorum ambitu ævum nescit; quod in minus opportuna licet*

soli

ſoli natura tot copiis circumfluit ; quod tot afflictis, ac pene everſis in Europa civitatibus partim bello, partim omni bello pejori, immodico luxu, vos cum paucis floretis, ac beati eſtis; unde id effectum putatis; niſi quod apud vos, cum publica res ſapientiſſimis inſtitutis temperatur, tum vero etiam domeſtica firmiſſimis legum vinculis ſit adſtricta? Ubi enim in matrimoniis expendendis religio major? unde incontaminatam, atque ex omni parte perfectam nobilitatem exiſtere neceſſe eſt. Ubi major in liberis inſtituendis adhibetur cura? unde ſemper optimam Reipublicæ veſtræ nobiliſſimorum Equitum, ſapientiſſimorum Senatorum ſementem ſufficitis; quo fit ut illa ſemper, etiam dum mutatur, ſtabilis, atque invariata conſiſtat; ideſt optima, præſtantiſſima, ſuique ſimilis.

Tuberonem olim (a) *Prætura dejectum legimus fuiſſe, quod in apparando funebri epulo Scipioni Africano mortuo, triclinium ſtraviſſet hædinis pelliculis, in eoque vaſa Samia expoſuiſſet; quaſi vero Diogenes Cynicus eſſet mortuus, ac non divini hominis Africani mors honeſtaretur. Non tulit Populus Romanus, tam perverſam Tuberonis parſimoniam; quod optime ſciret, quæ uno aut loco, aut tempore facta laudarentur, in alii,*

(a) Tullius in Orat. pro Lucio Murena.

aliis vituperari; distinctas ac diremptas esse rationes officiorum, nunc parsimoniæ locum esse, nunc largitati; vicissitudinem esse quandam severitatis, & joci; nunc labori indulgendum, nunc voluptati. Vos, qui in populi Romani vestigia feliciter successistis, ut inanes sumptus, ac jactatricem illam opum vanitatem circumciditis; ut non tam insignes corporis ornatu, quod legibus vestris probibetur, per urbem inceditis, quam animi magnitudine, atque excellenti nobilitate conspicui; tamen & lautissime habitatis ipsi, vestræque domus, licet privatorum illæ sint, maximorum Principum æquant ædificia magnitudine, cultu, laxitate, opulentia. Cum vero aliquid apud vos aut privatim, aut publice, magnifice gerendum est, quod persæpe accidit in legationibus, in summorum Principum occursationibus, in iisque in urbe vestra hospitio excipiendis, qui splendor, quæ pompa, quæ vestra humanitas est! contabulato sæpe novis aulis, novis porticibus mari, ad edenda spectacula, ad ludos, ad festos dies, saltationibus, concentibus, conviviis celebrandos, accommodatis.

Denique, si qua unquam in alia, in vestra Republica maxime, rara illa, ac perdifficilis cernitur viri cum pecunia consociatio; quæ optime parta, optima ratione collocata, non in

vanos

vanos usus consumpta apud vos brevi dilabitur, sed perpetuis accessionibus cumulata crescit in dies magis, ac stabilem, ut in rebus humanis fas est, obtinet perennitatem. Quod nisi vestræ similis, olim in majoribus vestris fuisset regendarum familiarum, opumque administrandarum consuetudo, quæ ab illis ad vos feliciter traducta pervenit; non tot illi vobis præclara magnificentiæ opera relinquere potuissent, tantam portus celebritatem, tot moles objectas fluctibus; montes, licet natura diremptos, perpetuo lapideo ponte Sauliorum magnificentia continuatos, ut ex duobus urbibus unam efficerent; amœnissimam illam maritimam oram, Urbique vestræ continentem, tot ædificiis, tot viridariis, tot oppidis distinctam atque illuminatam; non duas denique illas toto orbe celeberrimas domos, alteram, ad sustentandam calamitosorum inopiam, magnificentissime structam, atque omnibus rebus ornatam; alteram, tot divitiarum, tot thesaurorum receptricem; unde ingravescente licet annona fertiles annos, unde dubiis, periculosisque temporibus classes, & bella depromitis. Quin & majora istis efficiendi in vobis animus non deesset, nisi, quæ majoribus vestris faverunt tempora, vobis nunc esent impedimento. Verum illa tueri, quæ accepistis, id quod præclare nunc facitis, posse; singu-

singulari vestræ sapientiæ tribuendum est, divinæque virtuti. Sed, quo me ab instituto Epistolæ cursu, pene incautum abduxit oratio mea? Quare, finem facio scribendi; atque hanc Oeconomiam, ab imperitorum calumniis perpurgatam iterum tibi offero, MARCHIO EXCELLENTISSIME, *quæ si minus utilis tibi forte fuerit, quod ad rem familiarem administrandam domesticis, ut dixi, excitaris exemplis; & per te vales prudentia plurimum; saltem pro posteris tuis, filiorumque filiis, quos tibi plurimos auguror, tuique similes, qui, & familiæ tuæ splendori, & Genuensi Reipublicæ firmamento esse possint, valituram esse confido. Vale.*

Ex Collegio Romano Idibus Majis 1738.

FRAN-

FRANCISCUS RETZ

Præpoſitus Generalis Societatis JESU.

CUm librum, cui titulus: *De Vita Oeconomica* libri tres cum Adnotationibus Ariſtotelicis, a P. Franciſco Grimaldi Societatis noſtræ Sacerdote conſcriptum, aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, facultatem facimus, ut typis mandetur, ſi iis ad quos pertinet ita videbitur, cujus rei gratia has literas manu noſtra ſubſcriptas, & Sigillo noſtro munitas dedimus. Romæ Kal. Majis M. DCC XXXVIII.

Franciſcus Retz.

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

Philippus Spada Epiſc. Piſauren. Viceſger.

PRæclariſſimi Vatis P. Franciſci Grimaldi opus: *De Vita Oeconomica*, juſſu Reverendiſſimi P. Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtri, a me diligenter perlectum, publicæ utilitati, & ob Latinæ Poeſeos elegantiam, literarum etiam ornamento evulgandum cenſeo, cum nihil ab Orthodoxa Fide, & recta morum inſtitutione diſcrepet. Romæ pridie nonas Octob. M.DCCXXXVII.

Antonius Franciſcus Felici.

Ele-

ELegiacos Francisci Grimaldi Societatis Jesu: *De Vita Oeconomica* libros tres jubente Reverendissimo Patre Sac. Apostol. Palatii Magistro attente perlegi, illosque non tantum Christiano, ac Religioso Scriptore, sed & perfecto morum Philosopho, ac summo Poetâ dignos inveni; ideoque ad publicam utilitatem, & ad novam clarissimi Auctoris gloriam vulgandos censeo. Romæ Ipsis Kal. Ineuntis Anni M.DCCXXXVIII.

Michael Joseph Morei.

IMPRIMATUR.

Jo. Benedictus Zuanelli Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apost. Magister.

VITA

VITA OECONOMICA

LIBER PRIMUS.



SI cui forte (1) domus non ars bene nota regendæ est,
Me legat,& certa dirigat arte domum.
Non est res facilis, non est res prona, sed artis,
Postulat, ut facilis, pronaque fiat, opem.
Ut (2) rex sceptra tenens regni moderatur habenas,
Altaque lex populi est, primaque norma sui,
Sic summo cum jure domum curatque, regitque,
Natura imperium conciliante, pater.
Præsidet hic natis, regni primoribus alter,
Hic famulos, cives legibus ille regit:
Ille sui fines curat producere regni,
Unde domus constet, comparat alter opes:
Muneris in partem regalis sæpe Senatus,
Sicubi res poscit, consiliique venit:
Sicubi res poscit, sic conjux fida maritum
Sæpe suis monitis, consiliisque juvat.
Præmia virtuti, certas pro crimine pœnas
Dispensant æqua Rexque, Paterque manu.
Ampla domus regnum est, multas si fusa per urbes;
Exigui regni sic domus instar habet.
Floret, ubi late firmat commercia regnum,
Floret amicitiis, conjugiisque domus.

Ut regnum, sic terra domos discordia turbat,
Pace viget regnum, pace domusque viget.
Indiget ergo sua regnum quò floreat arte,
Indiget, utque domus floreat, arte sua.
Sed tamen (3) ut recte procedat, & ordine regnum,
Præsto adsunt leges regibus, arma, metus.
At pater auxiliis orbatus talibus, ægre
Continet ipse suæ regna minora domus.
Hoc quoque crescit onus, petulans ubi contigit uxor,
Exlex progenies, servitiumque procax.
Hinc plus, quàm regnum, ne vinclis forte solutis
Corruat in præceps, indiget arte domus.
Hanc ego profiteor; doctisque a fontibus illam
Arcessam (4), sapiens quilibet unde bibit:
Hic ego (5) conjugii sanctissima jura docebo,
Quaque maritalis lege perennat amor.
Dicam, quo cultu primos formanda per annos
Sit soboles, justi fructus, onusque thori:
Unde parentur opes, quæ partas certa tuendi
Cura sit, in famulos jus & herile canam.
Principio (6) ducenda bonis tibi moribus uxor,
Qui nova conjugii vincla subire paras.
Dum nova res, dum festus hymen celebratur ad aras,
Inque tuas veniet dos numeranda manus,
Non bene sentitur, quem tu commiseris, error,
Inque domum quantum traxeris ipse malum.
Ast ubi nubendi primus deferbuit ardor,
Quanta sit, exiguo tempore culpa patet.
Piscis ubi primum dulcem gustaverit escam,
Exilit, ast illi proximus uncus adest.
Pabula grata avibus venator edacibus offert,
Queis trahat incautas, retia tecta latent.

Et placet, & perimit proles Acheloïa cantu,
Tutius ut perimat, blandior ante placet.
Innumeris ut vita malis humana prematur,
Est sua non paucis parta medela malis.
In delectu aliquis firmi peccavit amici?
Mutat amicitiæ fœdera, liber abit.
Hic male conduxit servum? mercede soluta
Abdicat, & pacto comparat ære novum.
Hei mihi! sola, malis quot sunt ex omnibus, uxor
Durat ad extremos semper habenda rogos;
Quodque alibi peccas, damno leviore luendum est;
In caput hic jacta est alea tota tuum.
Finibus ista suis res non concluditur; uxor,
Si bona, grande bonum est, si mala, grande malum.
Quo magis uxoris prima hæc sit cura legendæ;
Hic tibi delectus durus habendus erit.
Optima quærenda est primum; si forte petenti
Uxor non præsto est optima, quære bonam.
Si bona non dabitur, saltem tolerabilis uxor
Sit tua; ne mala sit, qualibet arte cave.
Hoc quoque si dicam cuivis prostare volenti,
Mentiar, & nostræ proditor artis ero.
Omnibus e nuptis, res est sat aperta, videri
Exemplum potuit conjugis Eva bonæ.
Omnia tunc fuerant multo meliora, recenti
Edita cum partu terra, polusque forent.
Vis & aquis suberat, succusque salubrior herbis,
Major odorati gratia floris erat.
Purius in rosea rutilabat lampade Titan,
Purius in niveis Luna nitebat equis.
Ipse parens hominum, nostræque propaginis auctor,
Argilla fuerat vividiore satus.

Quæritur huic conjux; ſed qua de parte veniret,
  Cum toto nuſquam femina in orbe foret?
Ecce ſoporati, ne quid conjunctius illa
  Huic foret, e coſta proſilit Eva viri.
Siqua fuit ſimplex animi candore puella,
  Siqua fuit rectis moribus, Eva fuit.
Adde, quod & menti, ne ſe ſubducere poſſet,
  Frenatus ſtabili compede ſenſus erat.
Quis tamen ignorat pomum exitiale, quis anguem,
  Et male guſtatas, lege vetante, dapes?
Neſciat anne aliquis ſummi affectata Tonantis
  Sceptra, per infidæ proditionis opus?
Hinc elementa fidem rupere, hinc pallida venit
  Mors, & morborum ſepta cohorte latus:
Hinc averſa Deo gens naſcimur, inde ſolutis
  Senſibus in præceps cæca libido ruit:
Denique poſteritas omnis corrupta, paterna
  Undique per noſtrum labe meante genus.
Sed quid tantorum mala ſtirps, & cauſa malorum,
  Auctor quique fuit, quæritis? Eva fuit.
Uxor prima fuit primævo nupta marito,
  Nuptaque, quod magis eſt, conciliante Deo.
I nunc, fide tuis prudens delectibus, i nunc,
  Et nullo uxorem delige conſilio.
Cur tamen in reliquis cum ſe prudentia rebus
  Efferat, hic alto victa ſopore jacet?
Non quæcunque tibi longum maris æquor aranti;
  Sed firma eligitur, ſed bene tuta ratis;
Incidis in morbum? tota ſcrutaris in urbe
  Pergamea doctum protinus arte ſenem.
Si commiſſa foro lis eſt, vox docta diſerti
  Cauſſidici magno quæritur ære tibi,

Si-

Siquid emis, mercesque probas, vitioque notato
  Rejicis has, illas, quæ placuere, capis:
Hoc & idem vilem præstas empturus asellum,
  Conjuge num pluris vilis asellus erit?
Est, (7) qui non visæ suspirat amore puellæ,
  Conjugis & supplet picta tabella vices,
Est, qui longinquis uxorem quærit in oris,
  Ignotamque alio stultus ab orbe vehit,
Quique, procuranti bona dum videatur amico,
  Protinus hanc cæco ductus amore probat.
Adde leves causas nubendi sæpe, Cupido
  Quas levis, & captus lumine dictat Amor.
Illa placet, cytharam quod pectine Cyllenæo
  Pulsat, & ad plausum musica cantat ebur.
Altera, marmorei quod visa in parte theatri est,
  Protinus ad thalami fœdera pacta venit.
Sunt, quibus in sacris mos est sibi quærere templis
  Quam sibi concordi jungere lege velint.
Sunt, quibus invitis, quæ non placet, uxor habenda,
  Illam quod durus jussit habere pater.
Felix Isacides Juvenis, cui contigit olim
  Pulchra animo conjux, corpore pulchra Rachel,
Illi bis septem servire fideliter annos
  Debuit; hac conjux lege paranda fuit.
Conditio potuit sed amanti dura videri:
  Dura sed ut fuerit, commoda multa tulit.
Conjugis inde suæ potuit cognoscere mores,
  Inde sui mores sponsa notare viri.
Vix radios primo Sol ostentabat Eoo,
  Cum pigrâ excutitur nocte soluta Rachel.
Fingendis in mille modos non illa capillis,
  Ad speculum tempus desidiosa terit.

Quin Solis conversa novos nascentis ad ortus,
Numen adorantes tollit ad astra manus.
Sedula deinde domum curabat, lumina vertis
Quo tua, femineus spirat ubique nitor.
Oscula dein patri, dein oscula dulcia matri
Non affectata simplicitate dabat.
Mox succincta sinus, ad pascua nota ferebat;
(Sibilat in manibus rustica virga) greges.
Qui tibi tunc dulcis spectanti talia sensus,
Magne vir, in magnum nomen iture, fuit?
Hæc mihi, dicebas, (quid tempora, Phœbe moraris?)
Præstatura suo tempore nostra Rachel;
Sic prolem instituet, sic curatura penates,
Sic ad nota meas pascua ducet oves.
Hic ego non miror, si gens numerosa nepotum
Protulit ex tantâ stirpe superba caput;
Si Bellatores, divinaque pectora, Vates.
Et tot prodierint, nomina magna, Duces.
Ergo (8) feræ cæco jungantur more, libido
Ad sua quas tantum gaudia sponte trahit,
Vos majora manent, consors domus, una voluntas,
Par amor in thalami pignora, parque fides.
Scilicet hæc præstet quævis tibi femina, cum vix
Millibus e multis femina lecta dabit.
Ergo age, quisquis ades, cui nubere certa voluntas,
Quæque sit, & qualis sponsa futura, vide
Num fiat, quæ dirimant thalami clam fœdera causæ,
Quæque minus faciant jura licere thori.
Garrula præsertim num quid vicinia narret,
Quæ semper causas, unde susurret, habet.
Integra præterea, nullisque obnoxia morbis
Num sit, an affecto corpore firma parum;

Num celebrent intus juvenes conclavia, noctu
 Quos adeat cœtus : hinc tibi damna time
Num ſciat arguto percurrere pectine telas,
 Numquid Aracnæa pingere norit acu.
Hæc bene præſtarent omnes, niſi tramite recto
 Multos abriperet (9) dotis avarus amor.
Ut viſco capiuntur aves, ut rore cicadæ,
 Piſcis ut abſtruſis curva ſub æra cibis,
Decipit incautos ſic dos ſperata maritos:
 Hæc placet, huic omnes nubere ſponte volunt.
Quid tibi jam proſunt Vulcania tela, Cupido,
 Quid pharetra ex humero Gnoſſia utroque ſonat?
Dote tuas acues melius, quam cote ſagittas;
 Illa magis certi vulnus amoris habet.
Sed, quid divitiæ proſunt, ſi contigit uxor
 Prodiga, vel mentis non bene nixa bonis?
Aſpice, nec noſtra diſcedas longius urbe,
 Quot dederit peſſum femina vana domos.
Illa domus centum quæ jugera bobus arabat,
 Nunc jacet, atque humili flagitat æra manu.
Quæque olim argento dives cænabat, & auro,
 Pauper in argillâ ſectile prandet olus.
Non (10) tot Erythræo naſcuntur gurgite gemmæ,
 Traprobaneſque legit barbara Doris aquis,
Ut ſibi in ornatum non plures femina poſcat;
 Sive decus digitis, ſive datura comis.
Non tot in imbrifera celantur nube colores,
 Solis ubi adverſis pingitur arcus equis;
Non tot ubi cœlum Phryxæo comitur auro,
 Verſicoloratas explicat annus opes,
Femina quot cultus paſſim capit, altera ſemper,
 Et ſibi diſſimilis, ſtulta ſed uſque tamen.

Nam modo Sequanicis se compta in vestibus effert,
 Nunc Batavos cinctus, Angligenosque capit.
Belgica (11) nunc gaudet, nunc vult Hispana videri,
 Nunc quoque barbarica cyclade signat humum.
Adde tot Accensos præeuntes ordine longo,
 Adde tot Ancillas, Æthyopasque nigros.
Adde tot & currus, Urbis cum sæpe tumultu
 Fertur, per celebres conspicienda vias.
Dos ubi nunc illa est, de qua modo stulte placebas
 Vir tibi? dos abiit, stulta sed uxor adest.
Quærite Virtutem, dos præstantissima Virtus;
 Anteit hæc gemmas, dives Erythra, tuas.
Sunt, qui posthabita virtute, in conjuge (12) formam
 Quærunt, & queis præ divite pulchra placet.
Immensas Junonis opes contempsit in Ida,
 Quæque sibi obtulerat docta Minerva, Paris;
At non formosam potuit sprevisse Lacœnam;
 Sic sapiens voluit, dives & esse Paris.
Ergo erit, ut prudens perituræ incendia Trojæ
 In parvam ipse velis sponte referre domum?
Si conjux formosa tibi, virtutis at expers
 Contigerit, quanto res erit ista malo!
Fervere mille procos circum tua tecta videbis,
 Nec tua, Penelope, forsitan uxor erit.
Munera missa tibi, quæ non tibi missa, videbis,
 Plura palam missis, missa latenter erunt.
Conveniere domi multis persæpe; ferendæ,
 Non tu, sed conjux causa salutis erit.
Custodire quidem, sed non servare pudicam,
 Ni conjux animo casta sit ante, potes.
Ne peccet, tacitâ quæ peccat adultera mente,
 Non sera, non custos, non canis ipse vetat.

Quantus

Quantus erit de te, de conjuge rumor in urbe!
  Semper formofis fabula, pœna fuit.
Quærite Virtutem ; res eft pulcherrima Virtûs.
  Forma bonum fragile eft ; illa perennis erit:
Sunt,queis (13) nobilitas præ forma in conjuge,præque
  Divitiis primo quæritur ampla loco.
Confilium laudo ; modo non in conjuge virtus
  Defit, quam ftultus, fi modo defit, eris!
Objiciet tibi fæpe fuos Cornelia Gracchos,
  Ingeret Appiadum Clodia vana genus,
Et poteris dominæ faftidia ferre fuperbæ,
  Et tua non æquo fubdere colla jugo?
Quærite Virtutem, qui nubitis ; omnia Virtus,
  Et genus, & formam, divitiafque dabit.
Vere magis præftet, vel tempore nubere brumæ,
  Non mihi folicito quærere cura fubeft.
Hæc medici curent ; his me majora referre
  Carminis in præfens auctor Apollo jubet.
Ætas (14) jufta, viri, nubendi, jufta, puellæ,
  Sit vobis ; nubat tempore quifque fuo.
Pupum cum Pupa, fociali fœdere jungi
  Cum fpectat, patrio ridet ab axe Venus.
Invitûfque facras fe fert Hymenæus ad aras,
  Quaffat & averfas pronuba Juno faces.
Scilicet imberbi nulla eft reverentia patri,
  Cum patre vix diftat filius ipfe fuo.
Officit hoc ftirpi, quod nullus forte fuperftes,
  In bona qui patris jure vocetur, erit.
Hinc thalami fteriles, prolefque enecta, nec armis
  Utilis, aut patriæ nafcitur apta togæ
Hinc quoque præ maribus nafcuntur fæpe puellæ,
  Offea gens, macie non bene viva fuâ.

Træ-

Træzænæ quondam mors intempesta metebat
  Mille puellarum corpora, mille virûm;
Aëris hoc primum contingere labe putatum est:
  At facies cœli tota salubris erat:
Quæritur hinc vitium ne quod latitaret in herbis;
  Tentantur; vitii constat inesse nihil.
Consulitur Smyntheus; adytis cum Phœbus apertis
  Hæc inter tripodas visus hiare sacros.
Quæ vos ante diem nubendi cæca cupido
  Abripit? hæc vestri causa caputque mali.
Cur modus ætatis non expectatur? adhæret
  Cur immaturo cruda puella viro?
Non hæc firma satis, non hæc moderaminis ætas
  Sat patiens, præceps nescit habere modum.
Plura nec effatus; præcisa est causa malorum,
  Tempore quod cæpit nubere quisque suo.
Nil juvenile nimis perfectum est; præcoce fœtu
  Edita, nativo poma sapore carent.
Vinea pacta recèns, nec vitibus uber adultis,
  Quæ cito marcescant, languida vina parit.
Ipsa etiam mancos edunt animalia fœtus,
  Ante suum quoties progenuere diem.
Nec minus est vitii, cum jam frigentibus annis
  Nubit, & hinc risum captat in urbe senex.
Fac gigni natos; ridendos mole pusilla,
  Morborum & pronos gignet in omne genus.
Quis prolem instituet, propero cum funere grandis
  Mox pater e vivis eripiendus erit?
Ast ubi matura decessit morte, rependi
  A natis patri gratia nulla potest.
Si tamen ætatis, quæ sint magis apta, requiris
  Tempora, in hac faciam nunc quoque parte satis.
Vir

Vir decima prudens nubat trieteride ; justo
  Jnngatur sextâ justa puella viro.
Sed bona (15) ducta bono jam tandem est omine conjux,
  Lectaque prudenter, lectaque rite fuit.
Quid tamen hic cedas, via cum tibi longa supersit?
  Ulterior votis meta petenda tuis.
Quod bona sit conjux, laus est nonnulla parentum,
  Laus est uxoris maxima, nulla viri.
Quod bona servetur, meliorque evadat in horas,
  Maxima laus hæc est, totaque pene viri.
Et bona Nestoreos ultra servabitur annos,
  Dux ad virtutem si bonus esse velis.
Nam quid vernanti ducta est ætate puella,
  Hanc nisi ut imbueres moribus ante tuis?
Quid tibi displiceat, primis placeatve diebus,
  (16) Norit ab exemplo femina docta viri.
Ipse domum primo redeas si vespere, conjux
  Non tua se totâ devia nocte feret.
Si vir parcus eris, nimium non prodiga perdet,
  Quas bene servari noverit uxor opes.
Non tamen immineas (17) rigidus speculator in illam;
  Velle nimis, votis sæpe volentis obest.
Vidi ego, cum nimium fructus poscente colono,
  Hoc ipso sterilis ferre negaret ager.
Vidi ego cum nimium sessor calcaribus armos
  Pungeret, hoc ipso sæpe resistere equum.
Quid, quasi nil pecces, peccata levissima durus
  Semper in uxoris cognitor ipse sedes?
Si speculum imprudens, si murrhea pocula fregit,
  Gemma vel incautis excidit articulis,
Imples vesano furiosus tecta tumultu,
  Et perjuratos axe vocas superos.

Uxor

Uxor multa sui toleret toleranda mariti,
Ipse vir uxoris multa ferenda ferat.
Nempe jugi mollitur onus, cum compare tauro
Ipsa suâ plaustrum parte juvenca trahit.
Cumque vehunt currum juncta cervice jugales,
Tunc minùs impositum pondus utrumque gravat.
Cum peccat graviora, monenda in tempore conjux
Est tamen; in monitis fortis at esto tuis.
Nunquam sola domi tua conjux, semper ad illam
Qui veniant, juvenum mixta, virûmque cohors.
Litera furtivâ peraratur sæpe tabellâ,
Munera clam mitti multa, palamque vides.
Institor ad dominam quoties tunicatus emacem
Se fert, quod libitum est, illa licenter emit.
Jam super illa suæ nimium se sortis honorem
Effert, & quiddam turgida grande sapit.
Cantibus obscœnis, fœdisque agitata choreis
Jam plus, quam superùm templa, theatra petit.
Omnibus illa locis flagrantia lumina jactat,
Ultra femineus quam sinat ire pudor.
Nescio quam pulchro felicem a conjuge laudat,
Jam minus illa sui pendet ab ore viri;
Hæc tibi marmoreo spectantur? nullaque nasum
Arrigit, & vitreo bilis in ore sedet?
Tam magis ornatu si femina gaudet inani,
Et minio pingit versicolore genas.
Quæ tot (18) circumfert vultu mendacia, verus
Illius anne animo candor inesse potest?
Oblita quæ fuco vultum splendente colorat,
Non faciet fucum moribus ipsa suis?
Dixerit hic aliquis; tam sævo occurrere morbo,
Qua tu, ne serpat latius, arte jubes?

Non

Non ego sum genio tristi, nimiumque severo;
Non mihi nativo pectus ab ære riget.
Non ferrum flammasque probo: mordacia cedant
Pharmaca, queis nimium teter amaror inest.
Lenia, quæque levent stomachum medicamina sensim,
Quæque adimant morbo pabula grata, volo
Tu quoque femineo mature alimenta furori
Detrhae; materiem tu quoque velle mali.
Incipe ab ornatu; gemmarum operosa supellex
Sit tibi per certos diminuenda gradus.
Et quasi per causam, quod creditor instet acerbus,
Quidquid habet cari femina, vende prius.
Detrhae Mæonio textam subtegmine pallam,
Hæc si palla sui causa furoris erit.
Si placet a comptis nimium sibi vana capillis,
Ne coma sit nimio pexa decore, jube.
Ejice & ancillam, quam fidam ex omnibus unam
Noveris, & dominæ, quæ magis ulcus alit.
Ejice suspecti barbam Ganymedis, ephœbos
Inter, barbatus si quis Ephœbus erit.
Jussaque (19) sint famulis durissima, tecta superne
Injussu ne quis possit adire tuo.
Quæ minus in fructus fœcunda exuberat arbor.
Si nimias frondes carpseris, uber erit.
Lac dabit, albentique fluent mulctralia succo,
Si nimium abstuleris forcipe vellus ovi.
Non spatiosa dabis culpæ sed tempora, quin te,
Nomine quem præfers, sentiat esse virum.
Vir (20) regat, & summo moderetur jure penates,
Lexque sit ipse suæ, normaque prima domus.
Vir fora solicitus curset, vadimonia curet,
Proque suæ pugnet fortis honore domus,

Vir quærat ſtudioſus opes, vir prædia luſtret,
Atque colonorum ſæpe requirat opus.
Nempe quod excellit magis, imperat; imaque ſummis
Parent, ſeque ſinunt deteriora regi.
Sic aër dominatur aquis, quas impete crebro,
Ne vitium ducant, flaminibuſque rotat.
Sic & torpentem nativo frigore terram
Fortior ætherei ſpiritus ignis agit.
Sic inter pecudes, armentaque muta ferarum,
Imperium, reliquis quæ fera præſtat, habet.
Magna (21) eſt feminei, fateor, reverentia ſexus;
Sed tamen eſt noſtro major habendus honos.
Major ineſt nobis rerum ſolertia, major
Vis animi, & fortes ad fera bella manus.
Non tamen ingenuas ſolers natura puellas
Deſeruit, domui multa ſed apta dedit.
Indidit his timidos animos, ſtudiumque latendi,
Servanda & parcas ad bona parta manus.
Nulla foris poſſunt tractare negotia; præſtant
Multa ſed ingenita ſedulitate domi.
Si minor uſus ineſt, minor his prudentia, parent,
Inque viri leges ſponte jubentis eunt.
Non tamen hoc prohibet, quin nupta, volente marito,
Multa domi curet, quæque gerenda gerat.
Multa (22) viros neſcire decet, quæ parva; domique
Non vir adeſt ſemper, femina ſemper adeſt.
Ergo domi conjux, quæ ſunt leviora, miniſtret,
Præſit & in morem ſceptra tenentis heræ.
Arbitra componat lites, famuliſque protervis
Indicat pœnas, ſervitiumque regat.
Præſit & ancillis, famulaſque ad penſa fatiget,
Quodque velit fieri, ſedula mandet opus.

Tem-

Tempore sufficiat, ne quid causentur inepte,
  Et teretes fusos, stamineosque glomos.
Omnibus, ut par est, dimensas lege ministret,
  Queis sua restituant corpora fessa, dapes.
Largior (23) hospitibus cum mensa parabitur, illi
  Ut bene succedant fercula, præsit hera:
Arte dapes jubeat qua submittantur in orbem;
  Quoque irritanda est lenta sapore fames.
Ut bene verrantur famulis conclavia, mandet;
  Splendeat atque suo culta nitore domus.
Nec dubitet quædam, charo placitura marito,
  Ipsa suâ interdum deproperare manu.
Ipsa levem properet candenti pollice zonam,
  Intexatque auris carbasa futilibus.
Si quid hiant vestes, ne labes serpat ad imum
  Sarciat ipsa suâ sedula semper acu.
Præcipue studiosa dapes, & fercula curet.
  Sicut velle suum noverit ante virum.
Si qua tamen nocitura videt, sint fercula quamvis
  Grata viro, blanda sedulitate neget.
His (24) etiam majora gerat, si mascula conjux
  Ingenii quiddam forte virilis habet.
Res vetus, & famâ celeberrima, pagina narrat
  Quam sacra; femineis laudibus illa favet:
Surge thoro propere; quin te, fortissime David,
  Eripis insidiis? sum tua chara Michol,
Evigila, ferus hostis adest; te deside lecto
  Corripe; quæ monet hæc, est tibi fida Michol.
Hoc cæcum per iter potes evasisse; quid hæres?
  Hac fuge, consiliis cætera crede meis.
Vir paret; vestes male cinctus, janua cæcum
  Quâ præbebat iter, nocte favente fugit.

Ilicet

Ilicet instantes ut femina luderet hostes,
  Consilium mentis grande sagacis init.
Inter strata thori statuam interponit acernam,
  More quiescentis nocte silente viri.
Lignea tum niveis circumdat tempora vittis,
  Pectus & hirsuta pelle, manusque tegit.
Plurimus interea concussis postibus ædes
  Se fert in superas miles, & arma fremit.
Ad quos versa Michol, quæ gens tam barbara mores
  Hos habet, ut miseris non pia parcat? ait.
Vir meus ægrotat; vos perturbare jacentem
  Audetis? puto cor mitius esse feris.
Cernitis, ut jaceat resupino corpore truncus,
  Venaque frigenti in corpore nulla micet?
Non homo, qui videat, jacet hic, ut dicere possit,
  Sed simulacrum hominis dicere possit, hic est.
Verba fidem facerent; Regis mandata sed urgent,
  Perdere cui David unica cura fuit;
Strata manu nudant acies, statuamque jacentem
  Inveniunt; lusos ira, dolorque premit.
Atque aliquis, ridens, ut vir tibi ligneus hic sit,
  Non es tu certe lignea nupta, Michol.
Risit ad ista Michol; prudentis conjugis astu,
  Sic servata viri vita, domusque fuit.
Si cui forte domi fuerit vir ligneus, expers
  Consilii, totus venter, inersque bipes,
Vivida sed contra, studiisque virilibus apta
  Sit conjux, sexus major honore sui,
Tunc bene mutatis vir serviat, imperet uxor
  Partibus; hoc rectus postulat ordo domus.
Femina (25) conjugiis præsit, dotemque puellis
  Attribuat, generos, quos velit, illa legat.

Femi-

Femina tunc parcis sustentet sumptibus ædes,
Caussidicos acuat, lite premente, domum.
Femina servitium mutet, loculosque marito
Auferat, ingratas ne male perdat opes.
Ligneus interea captus nidore culinæ,
Desideat totos vir sine mente dies.
Ligneus huc, illuc ridendus in urbe puellis
Se ferat, & stupidâ mente theatra petat.
Ligneus aurigetur equis crepitante flagello,
Molliat aut lanæ stamina longa colo.
Sumptibus afflictas nimiis, luxuque jacentes
Restituit quoties femina parca domos!
Sæpe simultates præcidit femina prudens,
Sæpe odiis posuit, dissidiisque modum.
Quid tibi, dure Nabal, læso Davide, fuisset?
Salva stetit tibi res Abigailis ope.
Dumque studet spicis prima sub messe legendis,
In quantas venit Ruth Moabitis opes!
Ah! quid femineum per probra lacessere nomen,
Mille modis semper, criminibusque juvat?
Prima mali labes, generisque miserrima nostri
Pernicies, quantis vapulat Eva probris!
At sunt magna tamen quoque nomina, Debora, Jahel,
Judith & Assyrii cæde superba ducis:
Quid formosa Rachel, quid prudens Anna, quid Esther,
Et matronarum nobile Sara decus?
At non femineas mens hic mihi texere laudes:
Susceptique aliò carminis ordo vocat.
Quis (26) bona conjugii percurrere possit honesti,
Quæque maritalis commoda nexus habet?
Vite carens ulmus sine fructu squalet in arvis,
Serpit humi vitis, cui comes ulmus abest.

At cum vincta suæ vitis conjungitur ulmo,
Induit hæc fructus, tollitur illa solo.
Sola domi mulier sine conjuge carpitur ; orbus
Hac sine vir certa posteritate caret.
Applicet illa viro se se ; vir nomine patris,
Femina præstanti matris honore tumet.
Filius exoritur: certus jam cernitur hæres,
Quo sine conjugii gaudia nulla forent.
Acrior hinc animos incessit cura parentum,
Plenior ad natos gentis ut assis eat.
Filius his causasque novas inspirat amandi,
Arctius & nectit copula viva duos.
Qualiter in punctum radiis coëuntibus unum,
Flamma repercusso fortior orbe redit,
Sic dum patris amor, charæ & genitricis eundem
Confluit in natum, gliscit utrinque magis.
Multa quidem in natos subeunt incommoda, sed post
Talibus e curis commoda multa metent.
Nempe quod his curvo jam jam titubantibus ævo
Filius optatam solvet adultus opem.
Hic fulcrum, hic columen ruituræ grande senectæ est,
Hic decus, hic baculus, præsidiumque domus.
Quid (27) super hæc memorē, quot vitæ coṁoda præstet,
Par quibus est animus, parque amor, esse duos.
Incidit in morbum conjux; mœsta assidet uxor,
Quamque potest illi sedula præstat opem.
Assidet uxori quoque vir mœstissimus, ægra
Dum cubat, & morbi tædia longa levat.
Alter ad alterius communia gaudia gaudet,
Altera in alterius mœsta dolore dolet.
Præmoriatur uter, morientis lumina claudit
Mœstus, qui superat, vellet & ante mori.

Hæc

Hæc bona conjugii, cum pax alterna maritas
  Ventilat, atque pari nutrit amore faces.
At (28) ſimul orta domi diſcordia, vertitur ordo;
  Omnia tunc triſti perlita felle madent.
Tempore, ſi ſapitis, veſtras præcidite lites,
  Uno conjuncti femina, virque thoro.
Arbiter ad lites ſemper ſit promptus obortas,
  Ne creſcant longâ jurgia veſtra morâ.
Non deerit matrona gravis, ſpectatus in urbe
  Non deerit, per quem lis dirimatur, eques.
Si ſocer eſt prudens, ſocero coëunda ſequeſtro
  Pax erit, aut ſocru, ſi bona ſocrus erit.
Qui præcepta ſequi velit hìc mea, viderit ante
  Credere num citius præſtet ovile lupo.
Sæpe etiam impubes, tales quæſitus in uſus
  Filius, optatæ pacis origo fuit.
Scilicet alludens gremio cum matris, in aures,
  Quæ dicenda pater detulit ante, tulit.
Sæpe viro erubuit quæ coram expromere conjux,
  Queſta eſt arcana litera ſcripta fide.
Sæpe epulas inter, dum cœtus amicus in unum
  Venerat, eſt uxor pacificata viro.
Sæpe novi floris, vel pomi gratia miſſi
  Principium certæ pacis, & arrha fuit.
Proderit ancillam dimittere, flamine lites
  Cum clandeſtino ventilat illa domi.
Proderit & famulum dimittere, ſicubi furtim
  Litibus is cauſas, materiemque dabit.
Cum ſunt bella domi, tunc ſumunt cornua ſervi,
  Ancillæque valent, prœlia tolle, jacent.
At nihil utilius, quam ſi præcidere cauſas
  Diſſidii in reliquum tempus uterque velit.

Ancillæ (29) si forte loco tractabitur uxor;
  Dure vir, imperiis lenior esto tuis.
Litis avarities fuerit si causa subortæ,
  Vir sit in uxorem largior inde suam.
Quod si forte viro, sobolem quod negligat, uxor
  Displicet; officio fungere, nupta, tuo.
Limen amet, septisque domus vix exeat uxor,
  Si vaga quòd nimium, displicet illa viro.
Hactenus est medica reparabile vulnus ab arte:
  Quid si Pæoniæ respuat artis opem?
Ergo maritalis (30) consors fidissima lecti
  Vapulet irati fuste, manuque viri?
Sæpe etiam spectent communes verbera nati,
  Et matrem imposito sub pede stare patris?
Hæc ubi contigerint, quam lata aperitur, & ingens
  Immedicabilibus janua diffidiis!
Atria tunc reboant, tunc illam femina primùm
  Qua nupsit, misero devovet ore diem.
Tunc quoque secedens, vestes discincta, comasque,
  Se fert ad patris sanguinolenta lares.
Quid faciam? quo vulnus atrox obducere possim,
  Quid mihi das, medicæ Phœbe repertor opis?
Ergo age, cumque dolor paullatim constitit, illam
  Supplicibus verbis obsequiosus adi.
Nec veniam te velle tui tam criminis, illi,
  Quam meritas pœnas, suppliciumque, refer.
Munera congerito; quæque illi jure negasti,
  Ut tibi placetur, te dare velle doce.
Ipsa, jube, leges vindictæ scribat acerbas,
  Si facis hoc, veniam forsitan illa dabit.
Sed mihi non tanti est lites præcidere natas,
  (Quamquam etiam hoc magnæ ducitur artis opus.)

Quam,

Quam, quibus erumpant mala tanta, ostendere fontes,
  Quaque arte impedias dicere, quaque via.
Ordior: audiri res est dignissima; abesto
  Hinc procul a sacris, turba profana, meis:
Et quia rem primis mens est deducere causis;
  Longior inde mei carminis orsus erit.
Invidiæ quis enim stimulis furialibus actos
  Nesciat in nostrum Dæmonas esse genus?
Unde ipsi exciderint, in regna beata vocatos
  Cum videant homines, ira, dolorque subit.
Exedit hinc mentes stimulatrix cura superbas,
  Quaque queunt nobis parte nocere, nocent.
Vasta elementa simul miscerent, si modo possent;
  Et nostrum obruerent per mala cuncta genus.
Parte tamen sævire datur; non omnia possunt;
  Sed quantum summi Numinis ira finit.
Divisere vices; pars motis aëra nimbis,
  Pars pelagi sumpto regna tridente quatit.
Hinc videas solem subita ferrugine cingi,
  Qui modo flammifera lampade purus erat.
Hinc videas subitis canescere fluctibus æquor,
  Cum placidis dudum molliter iret aquis.
Nautarumque aliquis, quo Dæmone mota repente est
  Hæc pelagi, dicit, nec male dicit, hyems?
Prædatura homines sed enim pars maxima terris
  Errat, & in vitium, qua licet arte, vocat.
Turmatim incedunt omnes; sed ductor in illis
  Plurimus, hos sequitur cætera turba duces.
Qua multum ambitio, multum mendacia possunt,
  Præsidet hic aulis, præsidet ille foro.
Est, qui militibus petulantis jurgia linguæ
  Suggerat, & rixas, sanguineasque minas.

Eſt, qui cauſſidicis in longum ducere lites,
Dictet, ut emuncto lucra cliente petant.
Quique Sacerdotes voto deludat inani,
Dum nimis affectant Pontificale pedum.
Quique cucullatis, ne juſto tempore pſallant,
Intempeſtivâ lumina nocte gravat.
Eſt quoque, qui paſtos dulcedine nectaris Indi
In ſua primævo retia mane trahat.
Dixerit hic aliquis; Dæmon, te judice, nullus
Ergo maritales excubat ante thoros?
Nil minus; in thalamos ſæviſſimus Aſmodæus,
(Hoc nam nomen habet bellua tetra,) furit
Igne tument oculi, triplici ſtant ordine dentes;
Quaſſat & infeſtâ ſigna cruenta manu.
Huic eſt uxores committere cura maritis,
Promptus & ad lites ſemper, & arma ruit.
Ingreditur vix ille domos, pax alma fugatur;
Occupat & miſeros ira, dolorque lares.
At non ſponte tamen confundere litibus ædes
Huic fas, ſed certa conditione datur.
Si mala conjugibus ſit mens; ſi ſola libido
Spectetur, nullo prolis amore, thori.
Tempore tunc capto crudelis prædo maritas
Ingreditur, nullo jure vetante, domos.
Omnia tunc vertit, miſcet, verſatque; virorum
Sæpe etiam fuſo ſanguine victor ovat.
Teſtis Sara mihi, Raguelis filia magni,
Quamque ſuo felix edidit Anna viro.
Compoſiti mores, mendacia nulla genarum,
Mixtaque nativis candida forma roſis,
In cauſa fuerant, cur fervida cura procorum
Eſſet, & a multis jure petita viris.

Quod

Quod petiere tamen, nollent petiisse, petitum
  Aut certe nollent obtinuisse thorum.
Mors fuit hoc illis; prima nam nocte jugali,
  Quisque suo madidam sanguine fecit humum.
Causam quæsieris? nulli sapienter amata,
  Ex tot conjugibus, sancta puella fuit.
Mens illis aversa Deo; tum sola voluptas
  Turpiter his pecudum more petita fuit.
Hæc ubi cognorat, Dæmon speculator hiantes
  Per thalami ingressus, nocte silente, fores,
Nocte virum prima jugulabat quemque; suoque
  Munere defunctus, clam, rediturus, abit.
Quid tibi tunc animi, mæstissima jure; tot inter
  Mortes, totque virùm funera, Sara, fuit?
Septem nupta viris, totidem viduata; diebus
  Septem uxor, totidem noctibus orba jaces.
Te miseram incusas, testaris sidera; tantæ
  Innocuas juras cædis habere manus.
Ante oculos tibi gentis erant opprobria, quæque
  Fingit in uxorum garrula fama thoros.
Dein ubi jam tuto vox libera facta dolori est,
  Solvisse in tales diceris ora sonos:
O Deus, humani scrutator cordis, opertum
  Cui nil, quique procul cuncta futura vides,
Scilicet hoc tantum de me vox publica crimen
  Deferet; & cœli lentus in arce sedes?
Dedecus æternum cur Sara parentibus ultra
  Vivis? curve gravas sarcina vilis humum?
Heu! quid agam infelix; tuear quo nomine causam
  Ipsa meam? vel quo judice freta levor?
Esse negem sponsos nocturna cæde peremptos?
  Mentiar, & populo teste refellar ego.

Ergo quis ingressus tam densa nocte penates,
  Te coram stricto sustulit ense viros?
Ne sensisse quidem? non est quod credere possis;
  Senseris? auctorem protinus ede necis.
Et noctem, & somnum pro te causabere? rebus
  Scilicet hæc superest anchora fida tuis:
Ferrea sed fuerit nox hæc, & somnus, oportet,
  Qua bene dormieris sanguine sparsa viri;
Obscuros adhibes infelix femina testes,
  Quorum alter fallax, altera nata dolis.
Non rea sum certe; sed si me judice causa
  Hæc dirimenda foret; vincerer esse rea.
Tu, Deus, affer opem miseræ; tu cognitor hujus
  Tu judex causæ, testis & esse velis.
Hæc ubi dicta, caput sordenti pulvere fœdat,
  Induit & viduos, uxor ut orba, sinus.
Tres jejuna dies, charæ procul ore parentis,
  Flens vacat in longas nocte, dieque preces.
Sat lacrymis jam, Sara, datum est, consurge, Tonanti,
  Non, ut rere, tuum nomen, honorque levis.
Auguror: en veniet longinquis Sponsus ab oris,
  Sed lentum est, veniet, dicere; venit, adest.
Sed quid nota loquor? Tobiæ jungitur uxor
  Sara; maritales extulit ara faces.
Ilicet accumbunt mensis, vicinia mensas
  Venit in has omnis, lætitiaque fremunt.
Virgineas suffusa genas stat Sara; maritus
  Poculâ cui mixta pronuba libat aqua.
Anna novi generi vix lumina tollit ab ore,
  Et Raguel cupidis jungit utrumque oculis.
Ne tamen incursu quaterentur Dæmonis ædes,
  Sparsaque nocturna cæde ruberet humus;

Talibus

Talibus uxorem Tobias inſtruit, & quæ
  Sint thalami leges, ſanctaque jura, monet.
Non decet, ut pecudes ineunt ſua gaudia, jungi
  Nos quoque, qui ſummo ducimus axe genus;
Digna Deo ſpectare decet; venerabile germen
  Abrami, atque Iſac, Iſacidæque ſumus.
Hinc thalami nobis non tam quærenda voluptas,
  Quam genus, & noſtræ gentis, & urbis honos.
Quin non ante thoro jungemur, vota preceſque
  Quam triplici liceat ſolvere nocte Deo.
Mane erat, & roſei portas reſerarat Olympi
  Roſcidus Eois Lucifer ortus aquis.
Ilicet exurgit nocturni ſoſpes ab aſtu
  Dæmonis, & ſolito pulchrior ille fuit.
Factum admirantur, queis res narratur, amici;
  Vix oculis Raguel credit, & Anna ſuis.
Denique concordis vixerunt fœdere lecti,
  Vir Saræ charus, charaque Sara viro.
Audiſtis, quicunque viri, quæcunque puellæ,
  Queis pax nulla domi, nulla thorique quies?
Audiſtis, nequam qua vobis arte fugandus,
  Qui veſtros Dæmon excubat ante thoros?
Mente Deum pura primum colitote datorem
  Pacis, & in ſanctas rite vacate preces,
Deinde thori moveat non tam vos bruta voluptas,
  Quam genus, & veſtræ poſteritatis amor.
Hæc ſi mens fuerit, Dæmon malus exit ab illa,
  Nil ſibi ubi juris comperit eſſe, domo.
Succedent numeroſa fides, pax alma, jocique,
  Cinctaque Palladiâ gratia fronde comam.
Sin minus, in lites tota exercebitur ætas;
  Noctis erit triſtis, lucis amara quies.

Diſcite

Difcite (31) fed tandem, veftros miferatus amores,
Quid docet hac magnus Phœbus in arte Deus.
Non eft unus amor, fimplex nec munus amoris;
Eft duplex; difpar munus utrique tamen.
Alter habet geminas, quibus impiger avolet alas,
Et propria femper mobilitate viget.
Alter conftanti fua fert veftigia paſſu,
Non volat huc, illuc; fed quod amavit, amat.
Ferrea tela gerit, pecudes queis rufticus alter,
Atque homines feriat; penfi habet ille nihil.
Alter brutarum dedignans corda ferarum,
In nos tantum homines aurea tela gerit.
Alter, quod faciat fine fenfu vivere amantes,
Eft puer, & pueri more, modoque fapit.
Alter, quod faciat prudenter amare, virilis
Eft olli fpecies, plena decore tamen.
Illum impura Venus genuit; tum lacte ferino
Pavit; & immitis cor dat habere feræ:
Hunc Venus æthereis cæleftis in orbibus olim
Edidit, & dulci nutriit ambrofia.
Illum perpetuo lacrymæ comitantur euntem,
Hunc pax, hunc fequitur pacis alumna quies.
Hujus vefter amor fimilis fi forte, puellæ,
Sique, viri, fuerit; gaudia quanta feret!
Quare, agite, alterni date cultus figna frequenter,
Jugibus officiis vefter alatur amor.
Plena (32) verecundi fint femper veftra pudoris
Verba, verecundus qualia dictat amor.
Nomine femper heri compellet nupta maritum,
Hanc vir & appellet nomine femper heræ.
Si foror (33) huic fuerit; colat hanc vir more fororis,
Si frater; fratris more colendus erit.
Vir

Vir prior aſſurgat veniente uxore, viciſſim
  Uxor & aſſurgat mox veniente viro.
Ni tamen officiis certus modus adſit in iſtis,
  Sæpe odium in nimia ſedulitate ſubeſt.
Ardua res, laribus conjunctos vivere iiſdem,
  Nec mala contemptus ſigna ſubinde pati.
Quid non vileſcit nimia aſſuetudine? primis
  Scilicet in rebus gratia major ineſt.
Dum nova, dumque recens deducta eſt Sponſa marito,
  Ut debet, primis culta diebus erit.
At poſt paullatim fit conſuetudine vilis;
  Ut nova ſit ſemper, magnæ erit artis opus.
Quid mihi ſciſſa comas, rus ſecedente marito,
  Te deſiderium ferre, puella, negas?
Rus abeat, gratasque moras exerceat illic,
  Abſit, ut hinc redeat gratior ille tibi.
Quod ſi longinquas ſit diſceſſurus ad oras
  Officii cauſa, conſule, nupta, boni.
Cum veniet, novus ille tibi, novaque ipſa viciſſim
  Illi eris; & languens ſponte redibit amor.
Sæpe (34) ſeneſcentes abſentia ſuſcitat ignes;
  Si nimis at fuerit longa, peribit amor.
Nec ſatis officioſus amor: prudenter amandum
  Eſt quoque, ſit prudens, ſitque virilis amor.
Si pueri in ſpeciem, nimiumque maritus amabis,
  Quamvis conjugii lege, thorique, tuam,
Illam depereas, illa defixus in una,
  Ante tuos oculos ſemper adeſſe velis,
Sentiet, atque ſuis captum te legibus uret
  Femina, ſervitium tuque perenne feres:
Imperioſa aderit, partem & verſabit in omnem;
  Tuque vir ex illo tempore nullus eris.

Illa

Illa volet, quodcunque volet, tu cyclade comptus
  Feminea, gladio cinget at illa latus.
At vir ero, dices, & munere fungar herili,
  Non ero marmoreus, non ero pectus iners.
Crede mihi, (35) lacryma frangeris victus ab una,
  Nec poteris vultum ferre minantis heræ.
Detrahet argentum conjux, fundosque colonis
  Addicet te clam, si volet illa, novis.
In privata domus perget tabularia; tollet
  Consignata fori publica scripta fide.
Si volet, & centum commissum clavibus aurum
  Eripiet, mox te reddet & Arpocratem.
Quin secreta animi eripiat, quæ sustulit aurum,
  Non dubito, si sit femina vafra satis.
Unde tibi tantum tam forti pectore robur?
  Dixit amatori Dalila sæpe suo.
Non est causa quidem mortalis; numine Divùm
  Contigit, an magica, quod reor, arte magis?
Testes sunt nostris aggesta cadavera campis,
  Quæque Philistæo sanguine manat humus.
Testes sunt Gazæ portæ, quas vertice gestans
  Supposito in summi culmina montis abis.
Sæpe mihi causam, dicebas, Dalila, nosces,
  Nunquam causa tamen, perfide, dicta mihi est.
At celare parum est, quid quod deludis amantem,
  Atque tuo mendax semper in ore sonus.
Cingite, dicebas, me septem funibus; humor
  His & adhærescat lentus, inermis ero.
Nec mora, te septem præcinxi funibus; at tu
  Funibus abruptis fortior inde redis.
Licia, dicebas, si clavo fixa trabali
  Ter mihi circumdent tempora, victus ero.

Siccine

Siccine mentiris? fortiſſima licia ſumpſi,
  Ter tibi devinxi tempora, victor abis.
Hæc tua certa fides? hæc noſtri mutua cura eſt?
  Hæcne tuus miſeræ dona rependit amor?
His precibus victus, ſecretum grande comarum,
  Qua poſſet, Sampſon dixit, & arte capi.
Vix ea dicta, comas abraſas vertice ſenſit.
  Sic bene femineo conſtat in ore fides.
Diſcite (36) multa, viri, veſtras celare puellas,
  Si ſapitis; prudens multa tacebit amor.
Sed prius Icario taceant ſub ſidere ranæ,
  Ante dabit nullos muta cicada ſonos,
Garrula quam taceat mulier; ſecretaque in imo
  Tempus ad exiguum pectore tecta velit.
Facta, infecta canit, dicenda, tacenda revelat,
  Rara eſt, quæ ſoleat parca, pudenſque loqui.
Quid, quoque quod ſancti garrit ſecreta Senatus,
  Proh pudor! & paces librat, & arma ſedens.
Tollite barbaricum morem; cur femina ſexus
  Ultra ſe profert ſepta, modumque ſui?
Nata latere domi, nec rerum diſcere cauſas,
  Cur ultra fuſi tela colurna ſapit?
Atque aliqua ex illis trutina ſuſpendit Homerum,
  Apponitque tibi, magne Petrarca, notam.
Dum Latioſque patres patribus committit Achæis,
  Expendit digitis ſecula priſca tribus.
Tunc (37) bene laudanda eſt mulier, cum nota marito,
  Atque ignota aliis vivit in æde ſua.
Cujus virtutes, non clauſtra domeſtica præter,
  Nec vitia exportat publica fama foras.
Quod ſi, multa viris quæ non ſunt jure negata,
  Femineis etiam moribus illa licent,

Cur

Cur non ingreditur mulier trabeata Senatum?
  Cur non indicit publica jura foro?
Non facit hæc, majora tamen facit; imperat illis,
  Talia qui faciunt, femina sæpe viris.
Denique (38) vestra, viri, sit constans, vestra, puellæ,
  Sit spectata thori tempus in omne fides.
Ille amor est verus, quem nulla pericula frangunt,
  Sin minus, est larva tectus amoris amor.
Dum tranquilla domus, rebusque erit aucta secundis,
  Nectet utrumque pari mutua lege fides.
Non ita, cum duris exercita rebus, ad imum
  Concidat, adversa sorte premente, domus,
Sæpe vir (39) in morbos diuturnos incidit, exul
  Sæpe vir e patria cogitur esse diu.
Sæpe e divitiis vir deturbatur avitis,
  Hæres sæpe domus certus utrique deest.
Hoc tua rara fides, uxor, spectanda theatro est;
  Se tuus hoc tali tempore promat amor.
Dum bene Idumæis Jobi florebat in oris
  Dives & armentis, dives & ære domus,
Tunc pax alta domi, tunc jurgia nulla, suoque
  Sponsa diu vixit comis, & æqua viro.
Concidit ex tanto vix rerum culmine Jobus,
  Prodidit ingenium pessima nupta suum.
Et bene nunc commissa luis, dicebat, inops jam,
  Quæ tua dextra prius severat, ecce metis.
O ubi nunc pingues agni, nitidique juvenci,
  Quos tu pauperibus prodigus ante dabas?
Dicebas, memini, quidquid largimur egenis,
  Fœnore multiplici pensitat illa Deus.
Quam bene pensavit! fœdo marcentia tabo
  Membra geris, totus vulnus, ubique miser.

Dic

Dic mihi, qua pascunt pingues in valle juvenci,
  Quos tibi siderea misit ab arce Deus?
Non Deus est mendax, absit; sed pectore falso
  Ficta tibi pietas, relligioque fuit.
Si tu rite Deum coluisses, undique felix,
  Et vallata bonis nostra futura domus:
Nunc pro criminibus recipis dignissima tantis
  Præmia, nunc fructum quemque mereris, habes.
Me miseram! cui nupta viro, cui credita sponso,
  Degam perpetuos semper amara dies!
Non hoc promeruit pietas mea; vive sceleste,
  Vive, sed in pœnas fertilis usque tuas.
Ergo, verecundus queis Dæmon parceret, ausa est
  Uxor, sed pejor dæmone, probra loqui.
Æquius, uxores, non insultare maritis,
  (Ad vos nunc redeo) sed bona verba loqui.
Quin, quæcunque virum fortuna sequatur, eandem
  Vos hilari semper mente subire decet.
Casta fides thalami vobis servanda, vel Indos
  Inter vir vitam non rediturus agat.
Caste educendi, thalami solatia, nati,
  Puriter, & (40) sancte tota regenda domus.
Pauperiem tolerare malam vos pectore forti,
  Absentesque decet semper amare viros.
Sic spectata fides, nullisque infracta periclis,
  Sic erit ex omni parte probatus amor.
Exemplum (41) vobis, in quod spectetis, Ulysses
  Sit quoque, queis thalami cura pudica, viri.
Jam decimo in cineres subsederat Ilios anno;
  Prædaque per Danaas ibat opima manus.
Turba puellarum ducibus divisa superbis,
  Per vim barbaricos scandere jussa thoros.

At

At non Penelopes temeravit femina lectum,
Nullaque Dulichio rapta puella Duci.
Dum redit in patriam, thalamosque thorosque Dearum
Sprevit, Penelopes vinctus amore suæ.
Talibus has inter convivam affata Calypso
Dicitur Atlantis filia pulchra sonis:
Vir divine, tuos jam dudum fama labores
Pertulit huc etiam, nec novus hospes ades.
Quanta viri virtus, quanta experientis Ulyssis
Dexteritas, novit Solis utrumque latus.
Et tamen acta tibi Trojæ sub pellibus ætas
Incipit albenti spargere nube comam.
Quid quod tempus erat fessum requiescere; belli
Mitte truces iras, otia pacis ama.
Quid tua Penelope, quam credis vivere? vivat;
Sed tua ne vivat, suspicor, ipsa tamen.
Pertulit ah quoties mendax te fama peremptum!
Forsitan & viduos induit illa sinus.
Cumque alii in patriam decimo jam vere rediissent,
Cum te non videat, vivere stulta putet?
Absit, ut illa tuum violarit conscia nomen,
Jura maritalis pollueritque thori,
Sed tamen imprudens, cum te jam credat ademptum,
Alterius potuit nupta subire domum.
Femina Penelope magna est; sed femina; sexus
Non tamen hinc exors creditur illa sui.
Ut mea, quod dicunt, cædam vineta securi,
Et generis carpam tot bona rara mei,
Femina mobilior ventis, in amore quiescit
Vix unquam; certam nescit habere fidem.
Donec eris presens, presentia nutrit amores;
Quam procul abfueris, tam procul ibit amor.

Quod

Quod si non renuis dotalia regna parentis,
  Aureaque Hesperidum culta vireta manu.
Possum ego Penelopes, quam fors tibi casus ademit,
  Conjugis, & famulæ jussa subire loco.
Hic potes astrorum mecum cognoscere cursus,
  Solis & oblique semper euntis iter.
Sic nutrita fui; non lanea pensa Minervæ,
  Non colus est nostras nata tenere manus.
Me pater egregiis instruxit & artibus olim,
  Multaque nosse dedit, raraque doctus Atlas:
Quin etiam herbarum docuit cognoscere succos,
  Unde petenda salus, quæ nocitura foret.
Eloquar, an sileam? secretum prodere patris,
  Aut nunquam, aut tali tempore grande licet.
Quin neque prodidero, si non celetur Ulysses,
  A me qui magno distat amore nihil.
Est flos secreta latitans in parte vireti,
  Imo caule niger, cætera purpureus:
Hunc mihi cum genitor monstraret, Filia, dixit,
  Flos hic est horti gloria prima mei.
Non mihi sunt tanti vel maxima regna, vel auro
  Perfecta ex solido poma quot arbor habet,
Quanquam hæc sunt regni vel maxima gloria nostri,
  Pro quibus excubias lubricus anguis agit,
Quam flos iste, satus pridem cælestibus hortis,
  Mercurius furtim quem dat habere mihi.
Scilicet ex illo comedit quicunque, beatis
  Huic par cælitibus vita perennis erit.
Scilicet eternus vivet, Lachesimque minantem
  Spernet, & ignavi publica damna rogi.
Immortalis eris, si me non spernis, Ulysse,
  Hæc tibi conjugii dos erit ampla mei.

Nam quid regna juvant, totum diffusa per orbem,
  Et gemino Phœbus quidquid ab axe videt,
Regna relicturus si vivas ; auferat inde
  Mors & commissas ad breve tempus opes?
Plura loquebatur ; mentem obfirmatus Ulysses,
  Proposito ex nulla parte labante, tacet.
Quin magis absentis secum suspirat amores
  Conjugis, & toto in pectore Penelope est.
Te quibus hic ornem, vir maxime, laudibus ;
  Præmia cui verum tanta fuere decus?
Quanquam jam misero, si crimen tale patrasses,
  Vita tibi in pœnam semper habenda foret.
Hic constans amor est, hic vere uxorius ; hujus
  Quisquis habet similem, non eget arte mea.
Tunc non ulla duos injuria turbat amantes,
  Tunc est ex omni cognita parte fides.
Quid (42) si larva tamen circumvolet atra maritos,
  Qua non sub Stygio tetrior amne, thoros?
Mille oculos in fronte gerit, queis pallida pœnas
  Ipsa suas spectet, suppliciumque sibi est.
Utque magis noceat, contraria miscet in unum,
  Cumque gelu semper torpeat, igne calet.
Illam non superant tortique Ixionis angues,
  Quæque Promethæo sanguine manat humus.
Cur aliquis tortorque sui, tortorque puellæ,
  Casta thori quamvis fœdera servet, erit?
Semper in hanc spectet, cui rideat, anxius, uxor,
  Cui se, cui vestes compta placere velit.
Illius ante oculos semper rivalis oberret,
  Horreat atque umbras æmulus ipse suas.
Hæc ubi contingant, semiviva lampade torpet,
  Et pene extinctis luget amor facibus.

Hic

Hic tibi quo poſſis, mulier, ſanare furorem
  Conjugis ipſa tui, dogmata pauca dabo
Numen adi precibus, Superumque altaria ſupplex;
  Hinc quærenda tui certa medela mali eſt.
Utque olim in faciem Nabucum vertit honeſtam
  De bove ſylvivago rurſus, & ora viri,
Sic Deus ingenium truculenti immane mariti
  Flectat, & humano vivere corde velit.
Nec te mundities operoſa in veſtibus, iſto
  Tempore, nec ſolita cultus ab arte juvet.
Quin ubi munda tuos ancilla ornare capillos,
  Et variare volet tempora chryſolitis,
Porriget aut veſtes, ſpeculumque adverſa tenebit.
  Oſtrina ut niteas pulchrior in tunica,
Tolle age, chara ſoror, vani inſtrumenta decoris,
  Non hæc ſunt, dices, uſibus apta meis.
Hæc habeant aliæ, queis ſors felicior; & quas
  Ipſe viris arcto fœdere nectit amor.
Si meus ille oculis me nunc non reſpicit æquis,
  Cui placeam infelix, culta vel eſſe velim?
Talia dicta, viri cum ſedula portet ad aures
  Ornatrix, tibi fors mollior eſſe volet.
Hei mihi! (43) quot, nuptæ, ſors veſtra obnoxia damnis
  Quot patet, & quantis vita marita malis!
Culpa quidem uxorum nonnunquam eſt; ſæpe virorum
  Culpa; ſed his major ſemper ineſſe ſolet.
Fortius hi peccant, quia ſexus fortior illis,
  Exemploque magis deteriore valent.
Quid tibi tunc animi, conjux, cum ſponſus in ædes
  Nocte intempeſta ſæpe redire ſolet?
Ebrius, & multo titubans veſtigia Bacco,
  In te mille minas, ſcommata mille jacit;

Servandum in natos cum gentis prodigit assem,
  Atque domum multo debitor ære gravat:
Omnia sed damnis pessum majoribus ibunt,
  Si par sit fatuo femina stulta viro.
Cum nihil arte valet, potatrix, garrula, mordax,
  Ulla nec in toto est vertice mica salis.
Perdere Penthapolim sceleratam turbidus ira
  Decrerat misso nubibus igne Deus.
Aligeros mittit, qui Loth in tempore doctum
  Ista super facerent, consuleretque sibi.
A Sodomis fugeret cum conjuge; ne sua vertant
  Terga retro; vertant si modo, morte luant.
Vix dederant sua terga fugæ; caligine septus
  Cum densa, abrupit Phœbus in axe diem.
Tum fœtæ apparent graveolenti sulphure nubes,
  Quocunque aspiceres, terror, & horror erant.
Mox ubi materies jam tota coivit in unum,
  Aligerùm injecta est parva favilla manu.
Ilicet erumpunt elisis nubibus ignes,
  Massaque tartareæ liquitur atra picis.
Nec mora, qua possunt, fugiunt incendia cives,
  Sed frustra; miseris flamma negabat iter.
Flamma fugam prohibet; pereunt hominesque, feræque,
  Omnis & exusto gramine tabet ager.
Jamque satis tuto, ne posset flamma nocere,
  Constiterant tandem femina, virque loco:
Femina cum retro vertit sua lumina furtim,
  Vix facit, admissum pœna secuta nefas.
Nam sua mole gravi sensit vestigia figi,
  Et salis in statuam versa repente stetit.
Cur salis in statuam sit femina versa, requiris?
  Non mihi causa liquet, causa sed alta subest.

Quid-

Quidquid id eſt, ſtatuam hanc in parvula fruſta minutam,
Quam toto vellem ſpargere in orbe libens!
Cum tamen his impar ego ſim conatibus, hoc vos
Pro me, Pierides, munus obire decet.
Ite, agite, alatum conſcendite Pegaſon, & ſal
Hoc clauſum in parvis tollite pyxidibus.
Dein hoc uxores, dein hoc donate maritos
Munere, viſque hujus quanta docete ſalis.
Hoc ſal quiſquis habet, dicetis, tempore nubit,
Servat & illæſi fœdera caſta thori.
Uxorem prudenter amat; non anxius illi
Imminet, aſſiduo conficiturque metu.
Non tamen huic laxas collo permittit habenas,
Ut præceps rapidæ more feratur equæ.
Non jubet ut famulæ; ſed nec famulatur eidem,
Femineo pendens totus ab arbitrio.
Hoc ſale, dicetis, quæ non caret uxor, amabit,
Ut decet, extremum tempus ad uſque virum.
Servabit taciturna lares, non garrula lites
Conferet, eloquii parca, ſimulque meri.
Ancillis leges, famuliſque indicet; obibit
Proque ſua curam ſedula parte domus.
Vana nec inductis ſua collinet ora venenis,
Uni ſi placeat, ſat bene compta, viro.
Denique poſtremum monitis hoc addite noſtris,
Quo bene contentus fine libellus eat.
Vir ſapiant, uxorque; minus tamen iſta marito;
Si ſecus, haud poſſunt, ut decet, eſſe pares.

VITA OECONOMICA

LIBER SECUNDUS.



SAt mihi (1) jam primo digessit Musa libello
  Sancta maritalis jura, fidemque thori.
Nunc sobolem qua lege parens informet uterque,
  Exequar; incœpto femina, virque fave.
Tu modo, Lojolide, nam non ego Phocydis undas.
  Nec moror Aonias, numina vana, Deas;
Tu modo, Lojolide, teneat quo littora sospes,
  Dirige nutantem per maris alta ratem.
Multa quidem terris, & munera magna dedisti,
  Complexus meritis Solis utrumque latus;
Per te immane fremens, abjectisque Hæresis armis,
  Ad Styga turbatos pallida flexit equos.
Vana superstitio, quamvis Oriente remoto,
  Sensit victrici spicula torta manu.
Tu senium emendas morum, & frigentia mundi
  Secla, tuo fervens igne calere jubes.
Cum tamen hæc ageres, multò & majora, colendæ
  Prima juventutis pectore cura fuit.
Sensit magnanimum votum; concussaque ab imo
  Ter, quater inferni mugiit aula Jovis.
Ego age, sancte meis Pater o, conatibus adsis,
  Dum tua, qua possum, fervida vota sequor.

Non

Non ea vis animi, prima ad cunabula Solis,
  Strenuus ut miles sacra Latina feram;
Nec mihi, quo vitiis marcentia pectora carpam,
  Tantus in exiguo spiritus ore sonat.
Meque Stagyræis fixum impallescere chartis,
  Mentis iners acies, ægraque membra vetant.
Quod licet, Ascræa vates operosus in umbra,
  Carmina formandis moribus apta cano.
Instituoque domum; quæ si bene floreat una,
  Urbs mihi culta satis, cultus & orbis erit.
Audior: ecce sacræ nutant in vertice laurus,
  Flammaque ter nostras lambere visa comas.
Ergo, quod instat, agam; sed, quo res ordine constet,
  Principium, (2) mater, carminis esto mei.
Quis dubitet, quin prima bonæ sit cura parentis,
  Lactis ut infanti sedula præstet opem?
Lac (3) cibus est hominum primus, lac esca ferarum;
  Lacte vigent homines, lacte vigentque feræ.
Scilicet ejusdem est, primæ qui munera vitæ
  Tradidit, ut vitæ pabula prima ferat.
Terra sit exemplo; quidquid parit, ordine certo
  Educat immenso, mater opima, sinu.
Par est in catulos rabidarum cura ferarum,
  Ubera dum tendunt turgida lacte, suos.
Ovaque deciduo turgescere semine cernis,
  Ducat ut hinc fœtus lactis alentis opem.
Ergo feris, scopulisque parens immanior ipsis,
  Lac dare quæ renuat, si modo possit, erit?
Si minus hæc moveant, thalami dispendia saltem,
  Tristiaque indignæ respice damna domus.
Filius hic moritur, morbus gravis incubat illi,
  Luridus alterius pallor in ore sedet;

Ipsa mali tanti, nutricis ad ubera mater
  Pignora dum thalami misit alenda, fuit.
Hinc minor in matrem (4) reverentia; cujus amorem,
  Lacteolo sensim combibit ore puer.
Infandas si passa vices, infaustaque quondam
  Marte sub adverso prœlia Roma tulit,
Tunc fuit, immensis cum Coriolanus in armis
  Inferret patriis impia signa focis.
Sæva fames isthinc, illinc lunata premebant
  Agmina, spesque urbis nulla labantis erat.
Patritia de gente viri legantur ad hostem,
  Non tamen armati flectitur ira ducis.
Sternitur huic supplex squalenti in veste Senatus,
  Mœstus inorata pace Senatus abit.
Ipsa ducis conjux, nuruum comitante caterva,
  Mittitur, infectis rebus & illa redit.
Castra petit tandem nati Veturia mater,
  Hæc super extremis anchora rebus erat.
Et simul ostendens, quæ præbuit ubera quondam,
  Hæc, hæc, quàm Romam, nate, ait, ante feri:
Ut tibi sum mater, sic Roma est mater utrique,
  Si non vis uni parcere, perde duas.
Filius huic contra: Romam, Veturia, vici:
  At tua dum monstras ubera, vincor ego.
Casside tum positâ repetita dat oscula matri,
  Et longa muros obsidione levat.
Non ita sanguinei mater scelerata Neronis;
  Quæ nati periit calcibus icta sui.
Quid facis o mater; cur, non hic ubera nato
  Objicis? hæc retegas si modo, sospes eris.
Lactis opem infanti quæ nunquam præstitit olim,
  Ubera non illi cur sua monstret, habet.

Sæpe quis in natis corrumpi germen avorum,
Et gentile decus degenerare dolet;
Quid mirum? viles nutrix cum lacte bibendos
Si mores puero, vilis & ipsa, dedit.
Sæpe pater mitis, sæpe est placidissima mater,
Indole sed dispar natus utrique tamen;
Consule nutricis, quæ præbuit ubera, mores;
Hei mihi! quam duris moribus illa fuit!
Quam bene consultum, Pharii dum gurgite Nili,
Per vitreas (5) Moysem cymbula ferret aquas;
Certus Idumæam Pharao jam perdere gentem,
Consilium sævæ callidus artis init.
Matribus Isaciis, lactenti ætate vocarent
Ad sua ne natos ubera, lege vetat.
Talibus auditis, Moysis mæstissima mater
Concidit, atque diu muta dolore fuit.
Ne Moysem lactet, prohibet lex sæva Tyranni,
Fortior at quavis lege jubebat amor.
Surgit, & hoc saltem, Pharao, non, dixit, habebis,
Ut meus hic diro concidat ense puer.
Ilicet Infantem noctis complexa per umbras,
Evolat, & Nili littora nota petit.
Ora palustris erat, limosis obsita cannis,
Quam circum frutices, raraque fagus adest.
Lintrem fagineo de cortice format, & apte
Construit artifici juncea texta manu.
Velum defuerat, capitis sibi lintea collo
Demit, & exiguæ vela dat apta rati.
Littore dein Nili consistens, ultima mater
Oscula dat nato, fervidiora tamen.
Mox ait, i placidas Nili portande per undas,
Digne minus misera candide matre puer.

I, tibi fortunam meliorem quære ; quid hæres ?
Nescio quid vultum, nate, timentis habes?
His tibi, ne dubita, Pharao fugiendus in undis,
Hac una poteris sospes abire via.
Legitimum, regalè fluit qui maximus amnis,
Mitis in infantem, justus & ellè volet.
Non ita qui Pharia nunc regnat in urbe Tyrannus ;
Ille magis sævum tygride pectus habet.
Et vos, ruris aves, & monstra natantia, quæque
Incolitis vitreos, squammea turba, lacus,
Vertite prædam aliò ; qui nullum læsit, ab ullo
Non est quod lædi debeat, æqua peto.
Ominibus jam perge bonis ; lintremque paratum,
Heu ! dolor æternus, nate, future subi.
Teque tui similes circumvectentur amores,
Matris & in primis vela gubernet amor.
Dixerat, impulsuque levi promovit in undas
Lintrem, inhians animo, luminibusque sequens.
Longior obtutum sed postquam sustulit aër,
Linquitur atque animo deficiente cadit.
Nile pater, quæ bella sinu, quæ funera portas,
Dum puerum hunc patrio nescius amne vehis!
Quantus hic Ægypto terrorque, metusque futurus,
Quanta Palestinæ gloria gentis erit!
Forte puellares, ripæ ulterioris ad undas,
Ducebat regis filia pulcra choros ;
Spumeus huc puerum cum fluminis appulit æstus ;
Inter femineos deposuitque pedes.
Ut fit, vimineo detractum cortice in ulnas
Sustulit infantem quæque puella suas :
Quarum aliqua,o quantum miserandæ matris in illo est!
Matre humili natum forma vel ipsa negat.

Altera,

Altera, nil dejecta tuens mox lumina, vultum
  Nescio quid nobis triste minantis habes.
Sed tamen ut fatis fieret via certa futuris,
  Et caderent sævi mox Pharaonis opes,
Cedite jam sociæ, tum regis filia dixit,
  Mater ego pueri matre carentis ero.
Quæritur huic nutrix; lac tecto nomine matris
  Contigit infanti mater ut ipsa daret.
Quare, agite, o matres, defungi munere vestro
  Ne grave sit: matris ferte libenter onus.
Si nequeat mater, quærenda (6) vicaria lactis
  Nutrix, quæ matris possit obire vices.
Docta sit infantum partim prævertere morbos,
  Partim Pæonia pharmaca ferre manu.
Norit tæniolis corpus constringere; zona
  Ne sit laxa nimis, ne nimis arcta premat.
Parca meri quoque sit, ne fors non sobria, mixtum
  Instillet puero lacque merumque simul.
Sunt, qui cessantem nolint pigrescere, lactis
  Ut magis excocti profluus humor eat.
Sunt, qui præcipiant, ne tristibus anxia curis,
  Ad sua lactentes ubera forte vocet.
Occultos animi referunt namque ubera mores,
  Et lac turbari, mente pavente, putant.
Non ego (7) vix natos gelido mersare sub amne,
  Aut jubeo dura ponere corpus humo:
Hoc armis assueta magis, quam commoda paci
  Fecerit in cives Sparta severa suos.
Mater ad Eurotam partu resoluta recenti
  Cum puerum gelidis torva lavaret aquis,
Aut digito Cererem pendentem ex arbore monstrans,
  Diceret, hanc jaculo, si sapit, ante petas.

Aut

Aut clypeum lævæ insertans, hunc, nate, parenti
  Aut refer, aut super hoc mox referare mihi.
Barbaries quondam hæc fuerit, vitæque ferinæ
  Cultus, nunc aliis moribus esse juvat.
Quanquam, o quid feritas, vel quid truculentia morum
  Inter bella potest, inter & arma magis?
Quam mite ingenium, mollitaque pectora sanctis
  Legibus, ad mores cultaque vita togæ.
At Lacedæmonii cum stabant scita Lycurgi,
  Jura simul terræ Sparta, deditque mari.
Scilicet imbelles non multum vincere Persas,
  Fractaque deliciis pectora, laudis erat.
Vicit Sparta quidem, sed dum fera bella moveret
  In populos quondam Martis ad arma rudes,
At simul ad pacis, queis Græcia præstitit, artes,
  Militiæ adjunxit munera; Sparta, jaces.
Sic est, civiles, pacisque ad munia facti,
  Et gens naturæ sponte togata sumus.
Arma manu inviti capimus, cum legibus uti
  Non licet, Astrææ Marte gerente vices.
Otia sed sumptis, pacem & spectamus in armis,
  Hæc acuit gladios, inflat & ipsa tubas.
Hinc (8) puer extemplo, procul horrida bella facessant,
  In studia, & mores pacis alendus erit.
Non tamen hinc nimio solvenda infantia luxu,
  Nec via sternenda est mollis, inersque viro.
Quis furor Oebalio reptare in murice semper,
  Semper & in verna corpus habere rosa?
Proh pudor! enervi quam surgunt languida cultu
  Corpora; quot fatis auximus arte vias!
Vix puer exoritur, cunis affusa voluptas
  Sternitur, hunc juris clamat & esse sui.

Flore

Flore coronantur cunæ; concentibus aër
 Perstrepit, ad sonitum vagit & ille lyræ,
Corruptasque prius Cilicum suffitibus auras,
 Quam sinceri haustus ætheris ore bibit.
Lac imbelle trahit, quod muneris inscia tanti
 E tumidis nutrix exprimit uberibus.
Dein avidæ tuceta gulæ præbemus, & offas,
 Vinaque confuso lacte bibenda damus.
Quid loquor armillas, quid tot redimicula collo,
 Aptaque stringendis vincula brachiolis?
Hinc fugit in præceps, puerumque aversa tuetur
 Virtus, nacta mali corporis hospitium.
Ergo mihi tenerum corrumpere mater alumnum
 Deliciis caveat sæva, nocensque suis.
Quin, qua parte potest, lactentia membra labori
 Firmet, & ad vitæ munia dura paret.
Sæpe pitissanti neget ubera grata puello,
 Sæpe neget cupidæ mellea crusta gulæ.
Quid de (9) veste loquar? non hæc sit perlita fuco;
 Simplicis a pueri pectore fucus abest.
Non onerosa sua corpus sub mole fatiget,
 Laxa sit, ad talos longa nec usque fluat.
Dum calor exuperat, patiens dum frigoris ætas,
 Tegmina sint capitis nulla, jovemque ferat.
Sic bene duratus ventos ridebit & imbres,
 Olim vir factus, factus & inde senex.
Tollite femineos, muliebria syrmata, comptus.
 Quis furor est sexum dissimulare suum?
Turpe maris cultu teneram prodire puellam,
 Turpe est feminea veste latere marem.
Scyria si vestis fortem labefecit Achillem,
 Fregit & Herculeas Lydia palla manus,

Quid

Quid fiet nobis ? queis robur desit Achillis,
  Nec labor est nostræ fertilis hydra manus.
Iste, vir, atque senex, patriaque senator in urbe
  Molle quid in gestu, femineumque sapit:
Si graditur, tenero sua fert vestigia gressu,
  Si loquitur, blæso frangit in ore sonos.
Desine mirari ; primis qui vixit ab annis
  Femina, nondum animos induit ille mares.
Nec mihi displiceat, si vitæ signa futuræ
  Sint vestes ; tacitum vestibus omen inest.
Hunc toga parva tegat, vel tunc puerilibus annis,
  Præmia qui patriæ crescit ad ampla togæ.
Civica signa ferat, qui munera civis obibit,
  Munera quique fori, congrua signa foro.
Da galeam capiti, si prælia poscit, & arma,
  Ornet & exiguum parva machæra latus.
Deme comas capiti, si sit formandus ad aras,
  Circinet & tenerum parva corona caput.
Gusmani magni doctam vel gestet abollam,
  Si sit Gusmano, matre vovente, sacer.
Pauperis aut Umbri si numine fretus in auras
  Venerit, intorta cannabe cinctus eat.
Hæc de veste satis : quid si dum gestit, ovatque,
  Obvia quæque domi sternat, agatque puer ?
Sæpe (10) periscelides mater sibi plorat ademptas,
  Sæpe illisa solo murrhina vasa dolet.
Clamat, & ancillis nil tale merentibus instat,
  Et peragit furti, voce minante, reas.
Quid quereris miseranda parens? tuus ille protervus,
  Dum sine lege ruit, crimen alumnus habet.
Si vis ergo tuum compescere, mater, ephœbum,
  Da puero semper, quo teneatur, opus.

Et

Et nunc Architæ, plectrum puerile, tabellam,
  Nunc tenerâ tractet tinnula sistra manu.
Pendeat ex humeris argentea lamina, cujus
  Lætus ab excussæ gaudeat ille sono.
Nec desint curvo ramosa corallia flexu,
  Bullaque, quæ teneros pendeat ante sinus.
Absit (11) ab ancillis, ne, dum servilia spectat,
  Servili discat vivere more puer.
Absit & a famulis, quorum mala lingua, procaxque,
  Doctaque per turpes fallere sæpe dolos.
Nec minus (12) impuris varientur tecta figuris,
  Nil nisi ut ingenuum spectet in æde, cave.
Huccine deventum est, ut crimina picta per artem
  Depravent mores, arte juvante, bonos?
Cumque forent exempla patrum pingenda, rediret
  Unde iterum oblito in pectore laudis amor,
Nunc tener in tabulis Veneri dilectus Adonis
  Pingitur, aut Phrygius raptus in astra puer,
Aut flores discincta legens Proserpina, vel quam
  Juppiter in speciem lusit adulter avis.
Turpia dum viles peragunt spectacula mimi,
  Quis dubitet, puerum quin & abesse velim?
Apta tamen (13) ludis cum jam puerilibus ætas
  Venerit, in ludos, matre jubente, vacet.
Quis teneat flammam, cum proximus ignis aristis
  Serpit, & huic vires turbidus Eurus alit?
Præcipites quis frænet aquas, dum monte volutus
  Spumeus effusis spargitur amnis aquis?
Quis teneat puerum primæva ætate calentem?
  Mobilis hic undis, mobilis igne magis.
Lusibus ergo vacet, sua diligit otia virtus:
  Et quiddam in ludis grande subesse solet.

Lusit

Lusit Amiclæus parvo cum Castore Pollux,
  Ledaque spectatrix inter utrumque fuit.
Lusit & Æmonio torvi Chironis in antro,
  Cujus jam manibus debitus Hector erat.
Nestoraque Argolici mentemque, decusque Senatus,
  Credibile est nucibus continuasse nuces.
Ipse etiam austeri Zeno præceptor Honesti
  Vectus arundineo, dum puer, ibat equo.
Quod fecere viri, celeberrima nomina, tanti,
  Non faciat nostra cultus ab arte puer?
Nolo (14) novis ludis studeat puer; ordior isthinc,
  Hæc patet ad monitus area prima meos.
Hei mihi! quot turbas puer hic novitatis amator,
  In patria factus grandior urbe feret!
Lusibus in mediis nova dum Catilina studeret,
  Prodidit ingenii semina prava sui.
Quod rixator erat, ludo præsente, Cethegus,
  Hinc celer ad rixas, pronus & arma fuit.
Lude puer parcè; commendat gratia ludum,
  Si modus in ludo, quem decet esse, subest.
Æs ubi concrepuit, quamvis sint florea rura,
  In sua tecta celer parca recedit apis;
Non satis at rauco, fœdissima corpora, fucos,
  Quo minus insultent floribus, ære voces.
Ora immunda luto, pulsataque tempora pugnis
  Absint, & scissæ, lite furente, comæ.
Odi, cum resonant puerilibus atria bombis,
  Ictaque vicinæ perstrepit aura viæ.
Turpe, micare manu, turpe est agitare fritillum;
  Ludere par, impar mosque, pudorque vetant.
Ah! cave damnosam digitis tractare papyrum,
  Quæ gerit in picto signa dolosa sinu.

Non

Non probo ſerviles luctæ ſub imagine ludos,
Ne labor immodicus creſcere membra vetet;
Non probo, qui ſpeciem turpant ludentis, & ora,
Moribus aut aliquid vile ſubeſſe notant.
Ingenuos, facileſque probo, (15) præcurrere virtus
Quos ſibi, quos ſtudiis vellet Apollo ſuis.
Curia ſit, parvumque forum, parvuſque Senatus,
(Si tener his natus luſibus aptus erit.)
Hic modo cauſſidicum ſe præbeat, & modo torvi
Damnet ſolicitos judicis ore reos.
Sive paludatus demiſſo ſyrmate, tractet
Principis in morem ludicra ſceptra manu.
Nunc ducis in ſpeciem ſocios hortetur, ut arcem
Invadant, compar ducat & agmen eques.
Si leviora placent; leviores ſuffice luſus;
Hic puer ingenio eſt acrior, ille minus.
Anſeris eſt ludus; facit hic flaventibus annis
Ludus; ab hoc tempus fallere diſcat iners.
Eſt matronarum bicolor quoque teſſera, tractet
Hanc quoque, matre rudes præveniente manus.
Truſitet & follem, quem diſcolor ala coronat,
Si ſpectes, fertur more volantis avis.
Impellatque pilas, qua janua ſurgit, eburnas,
Parte latina ſui, græcaque parte ſui.
Dulcibus interdum fabellis commodet aures,
In quibus occulti ſemina moris erunt.
Et modo Cœlicolis altaria flore coronet,
Nunc ſtruat infanti parva ſacella Deo.
Hactenus (16) ad ſeptem puerum perduximus annos,
Et pars eſt libri prima peracta mei.
Nunc totidem ſeptem donec pubeſcat ad annos,
Qua pater hunc formet ſedulus arte, canam.

Gaudeat, & doleat (prima hæc sit regula morum)
  Ut decet, & virtus præcipit ipsa, puer.
Ut cythiso lætantur apes, ut credulus esca
  Piscis, ut arbutea fronde trahuntur oves,
Melle sub infido sic dum tegit arma voluptas,
  Illa viros laqueis captat, & illa senes.
Sed magis ante fores, primævaque limina vitæ
  Excubat, & pueris clam nocitura sedet;
Virtutique prius quam sit bene structa, latenter
  Immigrat in vacuam corporis illa domum,
Jura dat, & sensus ad sese hic allicit omnes,
  Sceptraque regali ferre recusat heræ.
Ergo voluptatem sitientibus abstrahe labris,
  Neve puer pleno combibat ore, vide.
Ordior a somno: res jucundissima, somnus,
  Grata viris, pueris grata sed illa magis.
Nocturno ceu rore vigor languentibus herbis
  Advenit, æstivo cum cane fervet humus,
Sic juvenes turgent somno, si parcus, & horas
  Non ultra septem continuatus erit.
Cætera das morbis; pigro stupet inde veterno
  Mens, & perpetuus pallor in ore sedet.
Nec taceam, teneros deceat qui victus ephœbos,
  Hæc quoque res monitis non aliena meis.
Non placet in dapibus luxus puerilibus; esca
  Sit brevis, atque frequens, non onerosa tamen
Adjicit in flammam flammas, serpentibus addit
  Virus, qui puero vina bibenda sinit.
Quod si forte dapes studio festinus anhelo
  Appetit, amota subtrahe lance dapes.
Pocula plena mero vult exhaurire? jubeto,
  Temperet infusâ pocula parcus aquâ

Dulcia

Dulcia quin puero quæ dat potanda voluptas,
  Ne bibat, aſperſo pocula felle line.
Si clam forte penu furunculus auferat eſcas,
  Matris & e gremio cruſtula ſurripiat,
Si gerris avidas præbet ſcurrilibus aures,
  Negligit aut rigidi juſſa parentis iners,
Si fratrem pugnis cædat, charæque ſororis
  Turpiter infixis unguibus ora notet,
Pœna ſit erranti; ſed commoda pœna legatur,
  Quæque ſit ad pueri crimina facta magis.
Cernuus in parvo tunc menſæ pranſitet orbe,
  Parca ſed huic ſolas menſa miniſtret aquas.
Vere novo ceraſos, Autumno poma negabis,
  Et quæ grata magis noveris eſſe gulæ.
Quin dolor (17) emendet potius, quæcunque voluptas
  Peccat, & ad ſcuticæ lora timenda vocet.
Vilibus & pœnis ſurgentem in cornua faſtum
  Comprime, ſi pueri in vertice ſurgit apex.
Nunc aures ſtolidi geſtet pudibundus aſelli,
  Nunc ſedeat curto fuſte dolandus equo.
Hæc mihi præſertim placeant, ſi nulla Minervæ
  Cura ſit, & doctas oderit ille Deas.
Si mala verba tamen vix primo e gutture tantum
  Exciderint, diſpar pœna legenda tibi eſt.
Vel fictis illum colubris terreto, vel atri
  Æthiopis ſpeciem ficta per ora cape.
Cancer & occurrat chelis extantibus aſper,
  Janua qua duplices pandit hiulca fores;
Mater & o, clamet, ſpecie deterritus illa,
  Devoror, o celerem fer, bona mater, opem.
Non erit ut poſthac, fuerit qui talia paſſus,
  Impuro turpes promat ab ore ſonos.

Forsitan hic nostra subtristis in arte magister,
Et videar pueris commodus esse parum.
Dummodo sed prosim mea per præcepta; severus
Non ego detrecto, tristis & esse nimis.
Quam bene cui nocuit Veneris damnosa libido,
Sustinet admotas in sua membra faces:
Quam bene vix gelidâ guttur perfundit anhelum,
Cui nocuit largi copia sumpta meri.
Peccandi causas si præbet, & arma voluptas,
Corrigat hanc medicâ pœna, dolorque manu.
At ne servili (18) declinet more parentem,
Dum sibi carnificem semper adesse putat,
Tristia tunc puero quæ dat, subamaraque virtus,
Ut bibat, asperso pocula melle line.
Si bene conficiet puerilis pensa Minervæ,
Si monitis facilis sit, docilisque domi,
Si bene Davidicum persolvat carmen ad aras,
Publica dum mystes sacra verendus obit,
Si magnæ titulos, & nomina mille Parenti,
Creber & ingeminet more precantis, Ave.
Crustula tunc, globulosque dato, Ligurumque placentas,
Quas de seposito melle laborat apis.
Nec pigeat picta nati donare laborem
Icone, sed punctim picta sit illa, vide.
Cereus aut agnus monimentum detur amoris,
Quem Phrygiâ pupugit sedula mater acu.
Non ego sum, qui dura velim, qui tristia semper,
Sit procul a nostris moribus iste rigor.
Me juvat in puero nunc signa videre dolentis,
Et nunc lætitiæ signa videre juvat.
Gestiat interdum, sedeat modo, cernuus oret
Nunc mihi, nunc studeat, nunc quoque perstet iners.
Nunc

Nunc mihi nugetur totus, nunc seria totus
  Mente agitet tacita, torvus amabiliter.
Aspicis ut laxas modo det, modo ducat habenas,
  Qui premit indocilis colla magister equi?
Carbasa nunc vento pandit, nunc subtrahit idem,
  Qui sibi commissam dirigit arte ratem.
Sic bene qui didicit tractare Machaonis artes,
  Multa dat ægroto, multa simulque negat.
Tu puero nec cuncta tuo concede, negave,
  Et modo mollis in hunc, & modo durus eris.
Disciderit vestes? (19) mater studiosa lacernam
  Sarciat; armillas fregerit? adde novas.
Cum tamen in mores plusquam pueriliter audax
  Peccat, tunc rigidi jura tuere patris.
Dum templis constabit honor, memorabitur Heli,
  Cumque Heli Phinees notus, & Ophnis erunt.
Felix ille quidem, si vel sine prole fuisset,
  Vel si peccantem corripuisset, erat.
Grande Sacerdotis senio tardatus, & annis,
  Pro se dat natis munus obire pater:
Thure vaporatas jam victima multa per aras
  Stridet, suppositis rite cremanda focis:
Optima fuscinulis, quæ visa tridentibus illi
  Exta sibi tollunt, deteriora litant.
Num poterant juvenes peccare licentius? addunt;
  Per nova criminibus crimina facta via est.
Ecce Palæstinis stuprum intentare puellis,
  Infandum! ante aras audet uterque sacras.
Crimine quo viso, densâ caligine septa
  Fluxit sanguineis Numinis arca notis:
Ipse fugit populus scelus aversatus, & aris
  Debita qui ferret munera, nullus erat.

O bene! quod natos tandem jam corripit Heli,
Sumit & irati, quæ decet, ora patris.
Qualiter in paleis errat sine viribus ignis,
Et leviter Zephiro mota tremiscit aqua,
Divini vindex sic Heli lentus honoris,
Segnis & in natos sic fuit ira patris.
At non sera fuit tanto pro crimine pœna,
Admovitque manus ultor ad arma Deus.
Ecce vir aspectu se se venerabilis offert,
Cui mentum barbæ densus obumbrat honos.
Hispida pellis obit, præcinctaque cannabe corpus,
Zona coërcebat tortilis ære latus.
Mox ait (absistunt dicentis ab ore favillæ,
Fallor? an irato fulgur ab ore jacit?)
Sic pater instituis natos? hæc credita templi
Cura? Sacerdotis sic grave munus obis?
Numinis irati mollis non nuncius adsum,
Quæque tibi impendent, proxima fata cano.
Bella Philistæis quæ surgunt horrida terris!
Quot video fortes signa movere duces!
Quæ fuga! qui nostro spumabunt sanguine campi!
Flumina quot video cæde rubere novâ!
Arca Dei indignans fœdâ se gente teneri,
Ibit in hostiles præda pudenda manus.
Clade pari affectus Phinees morietur, & Ophnis,
Impastisque dabunt corpora cæsa lupis.
Tuque dolens serò fracta cervice jacebis;
I nunc, & natos corripe, lente pater.
Dixit, & in tenues ceu fulgur vanuit auras,
Fudit & excusso bella, metumque sinu.
Dum favet ingenium, puerique recentior ætas,
Increpet hunc fortis voce, minisque pater.

Oscula

Oſcula dum ferret nimium fraterna ſorori
  Ammon, tunc melius corripiendus erat.
Matrem nacta magis fuerat ſi Dina ſeveram,
  Cum probro haud ultra limen itura fuit.
Nec vos (20) decipiat, primo ſub limine vitæ,
  Crimina quod peccat non niſi parva puer.
Dum novus eſt unguis, Lybiæque adoleſcit in antro,
  Tractantum patitur parva leæna manus;
Fac rigidi creſcant ungues, fac vellus in armos
  Deſcendat; veniet quanta ruina gregi!
In mare ſepteno qui fert ſe gurgite Nilus,
  Portat & ingenti bellica roſtra ſinu,
Rivus aquæ tenuis primis in fontibus ante,
  Quem ſaltu paſtor tranſiliiſſet, erat.
Hic qui nunc ſubitam ferus excandeſcit ad iram,
  Torvus & obliquo lumine ſæpe ſedet,
Parva quidem peccat, quia parvus peccat, & iræ
  Materies parvæ non niſi parva ſubeſt.
Ira tamen creſcet puero creſcente; feracem
  Suggere materiem, quantus hic ignis erit!
Hic puer eſt nimium genialis: lumina vertit
  Huc, illuc, fronti nec pudor ullus ineſt.
Laſcivis nollem devinctus amoribus olim,
  Heu! trahat in præceps ſeque, ſuamque domum.
Nonne vides veſtes diſcinctus ut ambulat alter,
  Nullius & curam fronte decoris habet?
Quid, ſi forte domus cum vir tractabit habenas,
  Gentiles patrii diſſipet aſſis opes?
Indole (21) quin etiam qua ſit quoque noſcite, veſter,
  Quoque ſit ingenio præditus, ante puer.
O quantum natura facit, felicia mentis
  Semina ſi quondam mater amica dedit!

His breve monſtrat iter virtutis; & obvia quæque
Innuit, & faciles ad bona ſumma vias.
Longum iter eſt aliis per dura, per aſpera ſemper;
Laus & inacceſſo figitur alta loco.
Hi ſemper fera bella gerunt; pax nulla; domique
Plurima quæ ſuperent monſtra, foriſque manent:
Pax aliis immota datur; ſine ſanguine laurus
Parta triumphali tempora fronde tegit.
Aureus hic totus puer eſt; huic aurea quondam
Credibile eſt triplices penſa dediſſe Deas.
Factus ad ingenium virtutis, amabile quiddam,
Dum loquitur, ſpirat; quidquid agitque, decet.
Talis erat Samuel, quem candida veſtis obibat,
Dum templi ſacras curſitat ante fores.
Talis Abel fuerat, dum poma novella Tonanti
Ferret, & intactam de grege paſtor ovem.
Alter at eſt ferro totus compactus, & ære,
Hei mihi! quam Clotho ferrea penſa dedit!
Horridus aſpectu, truculentus; ridet, inepte
Ridet; quidquid agit, ſemper ineptus agit.
Talis erat duris gaudens venatibus Eſau,
Cum peteret ſævas, ſævior ipſe, feras.
Talis erat primis aſper Lamechus in annis,
Uxor cui primo non ſatis una fuit.
Quidquid erit, dura vel ſit puer indole natus,
Vel facili, ſolers fingat utrumque pater.
Nemo adeo ferus (22) eſt, qui non miteſcat ab arte;
Quod natura negat, ſuppleat artis opus.
Arte vides Cereri duros manſueſcere montes,
Denſa ubi jejuni glarea ruris erat.
Quique prius preſſis ferus inſultabat habenis,
Edomito ſonipes accipit ore lupos.

Fuſile

Fusile sed caveas tentes opus; arripe scalprum;
  Et lento natum cæde labore, pater.
Dum licet, & facile est, votis puerilibus obsta;
  Quæ concessa nocent, sæpe negata juvant.
Ludere forte cupit: ne ludat; visere pompam:
  Abstineat; mimis poscit adesse: nega:
Quin magis optatis contraria præcipe quædam,
  Et sua conantem frangere frena, rege.
Templa petat, si rure cupit fortasse morari,
  Forte theatra cupit, rura negata petat.
Hic, qui nunc curvus (23) se prodit ramus in auras,
  Flexus in adversum sit modo, rectus erit.
Durior oris equus consistit sæpe; suburge;
  Pugnantemque retro flecte, vel Eurus erit.
Otia præsertim primis fac vitet ab annis,
  Otia sunt omnis semen, & esca mali.
Quem labor exercet, liquidis argenteus undis,
  Ruris amor rivus, Naïadumque fluit.
Est odium pastori, ruricolisque Napæis,
  Qui lentæ torpet more paludis iners.
Otia dum peragit vitreas Narcisus ad undas,
  Occidit insano tortus amore sui.
Lentus amor florum, carpendi & poma cupido,
  Thyodamantæum gurgite mersit Hylam.
Nempe quid est, quod crebra puer suspiria ducit;
  Inficit & teneras, igne micante, genas?
Cur faciem fingit, cur crines nectit in orbem?
  Nullus & a fixa crinis aberrat acu?
Ingenuæ non ulla super jam cura Minervæ est,
  Odit & Aoniæ murmura grata lyræ.
Templa minus magno celebrat devota Tonanti,
  Negligit & Cereris liba verenda sacræ.

Obsidet

Obsidet alta pios, turpisque senecta libellos,
  Queis sua virgineus temperat arma pudor.
Scyria nunc illum Phillis, vel mollis Amynthas
  Detinet; hæc sitiens docta venena bibit.
Quidquid & excerpit fidi pastoris ab ore,
  Protinus infixo sedulus ungue notat.
Sæpe pater secum, miratus talia, dixit,
  Cur meus hic non est, qui fuit ante, puer?
Occidit ille vetus, sic est, puer; alter ab illo
  Successit, dispar sed tamen ipse sibi.
Nescio quid nocuit (24) vicinia: vidit, & hæsit,
  Captus ab insidiis, vafra puella, tuis.
Otia fecerunt, ut amaret; inutile tempus
  Dum fluit, hoc pharetram tempore solvit Amor;
Dirigit & sævas, Vulcania tela, sagittas,
  Ulla nec in vacuum tela rotata volant.
Dum pastor, dum fida canum custodia cessat,
  Incustoditum perdit ovile lupus.
Dum nox, dum vigiles somnoque, meroque sepulti,
  Arcem qui subito diruat, hostis adest.
Dum pigra mens nullo se se custode tuetur,
  Nullus & excubitor, consiliumque domi est,
Tum tacitus surrepit Amor; vexillaque victor
  Explicat, & capta mentis in arce sedet.
Da puero quod agat semper; vel inertibus horis
  Ne sit iners, satagat provida cura patris.
Materiem si forte domus nil præstat agendi,
  Auctor eris, quid agat, quærat ut ille foris.
Rura petat potius, mandataque certa colono
  Pro te, dum podagra tortus es ipse, ferat.
Mitte salutatum cognatos, visat amicos,
  Expediat quædam, teque jubente, foro.

Clau-

Clauſtra, ſacroſque adeat primo de mane penates,
Quos colit Umbriadum Numine plena choors.
Nec Lojolea rigidus de gente Sacerdos
Deſit, virtutis quo duce ſignet iter.
Si nihil iſta juvant, venatu membra fatiget,
Fallat & incautas gauſape tectus aves.
Sæpe inconceſſam pellit conceſſa voluptas;
Vaneſcitque vetus cura, repulſa novâ.
Strymona dum tranat nemorum vaſtator Achilles,
Torvus & Æmonia cuſpide figit apros,
Matris Acidaliæ fertur riſiſſe pharetram,
Defenſus ſtudiis, caſta Diana, tuis.
Aſt ubi ceſſavit molli Lycomedis in aula,
Inter femineos, femina & ipſe, choros,
Riſit Amor, pharetramque movens, nunc accipe vulnus,
Dixit, & impoſito ter pede preſſit humi.
Me duce, femineis, puer, a congreſſibus abſis,
Si tibi manſuri cura pudoris ineſt.
Nocturni cantus, debacchatæque choreæ,
Cymbala femineä pulſa, repulſa manu,
Vinaque, Mexiacuſque latex, & cruſta Sabauda,
Vinctaque Hyperboreo cinnama odora gelu,
Enervant animos: quid femina culta per artem
Dum jacit ardentes, Cypridis arma, faces?
Mœſta Syonæi relegis qui carmina vatis,
Carmina flebilibus deproperata notis,
Quod prædata ſuos fallax ſit femina ſenſus,
Hanc tantis ſummam queſtibus eſſe vides.
Non puer a tantis timeat ſibi caſibus? ætas
Mollis, & in vitium cerea ſponte ſua?
Ut vult, expectet ſibi commoda tempora virtus,
Ut ſe digna gerat, dinumeretque dies.

Præve-

Prævenit ætatem vitium, nec longa moratur
Tempora; dum discis, jamque docere potes.
Difficilis cultura manet, violasque, rosasque,
Virgineaque legi lilia digna manu.
Proveniunt sed sponte sua mala gramina passim;
Surgit in invisos campus ubique rubos.
Quid, si dum veri speciem mentitur amici,
Has male qui flammas ventilet, alter erit?
Tunc pudor exuitur, virtusque eliditur omnis:
Ferrea sternaci tunc juga demis equo.
Cæruleus nautis color est, quia semper oberrant
Illorum ante oculos cærula regna maris.
Vultus & Æthiopum niger est, quia Solis ab æstu
Paullatim fuscus ducitur ore color.
Sic malus est, quicunque malo sociatur, & hujus
Aspectu capitur, colloquiisque frequens.
Nec quia sit facili puer indole præditus, illi
Attenti desit sedula cura patris.
Quid juvat ignavum silvescens terra colonum,
Quæ segetes largo ferret opima sinu?
Vinea quid facili prodest in colle recumbens,
Si pigro torpet sentibus hirta situ?
Filius hic bona multa patri, patriæque daturus,
Si par ingenio cultus adesset, erat;
Defuit ingenio par cultus; ferre parenti
Commoda, cum posset plurima, nulla tulit.
Occupet hunc bona (25) cura patris; moresque docendo
Formet, ut assuescat frena, modumque pati.
Luserit æquales inter; tu testis adesto,
Si potes, aut pro te qui magis aptus erit.
Opprimat hic socios nimio ne jure, cavebis,
Aut sumat justo plusve, minusve sibi.

Præmia

Præmia ne victor, pœnasque reposcat acerbe,
  Pignora neve neget, si modo victus erit.
Justa quidem primò primis assuescet in annis
  Velle, sed & juste mox quoque justa volet.
Proderit hoc etiam; quidquid facturus honeste es,
  In partem veniat muneris ille tui.
Largiturus eris si quid miseratus egenos,
  Pro te pauperibus porrigat ille stipem.
Si quid solvendum, numeret puer æra, jube to
  Ne mox præcipiti dissipet æra manu.
Adde simul, vitæ quantus sit fructus honestæ,
  Pax animi unde fluit, mentis & alta quies.
Mens mala præterea quanto collisa tumultu,
  Pœna sit ipsa sibi, suppliciumque, refer.
Hinc via paullatim fit moribus; hi quoque posthac
  In similes actus ponderis instar eunt.
Dein ubi jam virtus firmis radicibus hæsit,
  Dulcia cultori poma datura suo est.
Si tamen (26) exempli monitis vis desit in istis,
  Pondere cassa suo verba monentis erunt.
Sic bene quæ frictu non incaluere frequenti,
  Nequicquam stipulas succina lenta trahunt.
Sic bene qui magnes non ante paratus ab arte est;
  Segnis ad Arctoi vertitur astra poli.
Viva domi censura pater sit, oportet; idemque
  Quod docet, exemplis imbuat ante suis.
Scilicet egregius (27) doctor virtutis, honestum,
  Quod tu non teneas, rite docebis iter?
Ebrius & calices inter, ructante falernum
  Ore, puer jubeas pocula parca bibat?
Versantem talos si te noctuque, diuque
  Viderit, ut talos oderit, auctor eris?

Allicit

Allicit exemplum, positum est ubicunque: sed unò
  In patre vim legis præcipientis habet.
Hactenus unde boni mores: nunc persequar artes,
  Queis tenera puerum mente vacare decet.
Grande sit exemplar (28) vobis natura, colendæ
  Debita quos prolis cura, laborque tenet.
Cantat, ovat, saltat, gaudet natura moveri
  In pueris, uno nescia stare loco.
Quod facit arcanis naturæ motibus actûs
  Duriter, hoc faciat cultus ab arte magis.
Dum digiti faciles, dum vox magis apta canendo est,
  Et canat, & tenero pollice pulset ebur.
Sic est: occulta trahimur dulcedine cantus,
  Et gens ad numeros nata, modosque sumus.
In muri coiere fidem testudine blanda,
  Dum vocat Amphion saxa, Aracinthe, tua.
Mulcentemque feras, volucresque ad plectra citantem,
  Orphea suspensis audiit Hebrus aquis.
Scilicet ad mores cantus facit; otia virtus
  Hinc sua perpetuo fessa labore trahit.
Pectora purgantur vitiis quoque, frangitur ira,
  Spes & depulso læta timore redit.
Cantus & æthereis mentem concentibus addit,
  Attonitosque super lucida claustra rapit.
Non tamen intortis, nimiaque ex arte rotatis
  Musica vox numeris munera tanta dabit.
Semivir his capiat plebejas cantibus aures,
  Distorquens animos mille cupidinibus.
Fingendis puer apta canat mihi moribus, unde
  Et curis animum, tristitiaque levet.
Nec mihi sic cytharâ carmen meditetur eburnâ,
  Ut plus, quam deceat, doctus ab arte canat.

Æra,

Æra, tubæque procul, violentaque tibia cedant,
Non hæc ingenuas nata tenere manus.
Squamiger hæc inflet Triton sub gurgite, phocas
Dum vocat immanes, squamigerumque pecus.
Eligat illa puer, facili quæ pollice pulset,
Quæque egeant minimùm gesticulante manu.
Quin matura viri cum jam successerit ætas,
Plectra minus jubeo tangat eburna frequens.
Publica tunc hominem, majoraque munia poscunt;
Si bene de tota judicet arte, sat est.
Det quoque (29) compositos librato corpore saltus,
Dum puer occulto vividus igne calet.
Turbinis in morem nunc hastam vibret in auras,
Stringat & immoto, dum redit illa, gradu.
Bellica nunc varios sinuet vexilla per orbes,
Nunc latus innocuo comparis ense petat.
Lignea stat moles, cervicem imitatur equinam,
Se se etiam hic vario pensilis orbe rotet.
Corporis hinc motus paullatim assuescet ad omnes;
Unde animis constat, corporibusque vigor.
Hinc ubi bella vocant, commissaque prœlia fervent,
Aptus ad invicti munera Martis erit.
Turpe, (30) figurandi non artem nosse; figuras
Circinet, & calamo rubra fluente notet.
Partibus apta suis deprendere corpora, quantum est!
O quantum est oculos non habuisse rudes!
Hinc simul empturus, quidquid constabit ab arte,
Non ita de facili decipiendus erit;
Artificumque manus noscet, variosque labores,
Et quo res pretio, quæque notanda venit.
Ecce vocat (31) teneros formatrix Pallas alumnos;
Hæc quoque vult annos fingere Diva rudes.

Omnia

Omnia prima puer discat bene: scriptitet apte,
  Atque emendato puriter ore legat.
Sic est, prima magis delectant, fortius hærent
  Prima, minus multò posteriora movent.
Forsitan hic quæres, (32) privata, an publica Gymnas
  Præstet? vix monitis res eget ista meis.
Publica privatis præstant: sit publica Pallas,
  Publicus & doctor; publica norma placet.
Aspicis Elæo fervent qua pulvere currus,
  Ut palmæ cupidos nobilis ardor agat!
Carcer ubi patuit, volat hic, super ingruit alter,
  Non expectato tertius axe subit.
Sic ubi densa sedet docto sub Rhetore pubes,
  Fortius extimulat pectora laudis amor.
Nec mihi displiceat, pugnæ sub imagine certet
  Si puerûm geminos turba secuta duces.
Pœnorumque rotet puer hic vexilla, Quirino
  Æmula, Romuleas ventilet alter aves.
Præmia tum ponat victoribus apta magister,
  Et justam victis, quam meruere, notam.
Adde, quod hic certo doctrinæ limite Pallas
  Constat, quem legum publica jura probant.
Finge, vagum & nulla devinctum compede legum,
  Quemlibet, ingenii quo ferat aura, sequi,
Hæresis, & fidens occultis fraudibus error,
  Serperet in regni præpete membra gradu.
Ergo ubi sana magis Pallas sit publica, primos
  Doctrinæ latices hauriat ore puer.
Hic linguam (33) formare prius, mox simplice vero,
  Et mentem, & pectus perpoliisse decet.
Felix! de rebus qui cum bene sentiat, idem,
  Quæ sentit, possit verba per apta loqui.

Ille

Ille Tyrannorum fortunam jure ſuperbam
  Deſpicit, & fluxas, munera ſortis, opes.
Tu, pater, interea puerilem ad grandia niſum,
  Muneribus, puero quæ magis apta, juva.
Auſpiciis aperit Janus felicibus annum,
  Strena ſit, & parvò munere lætus eat.
Ut recreet feſſas operoſa gymnade vires,
  Rus petat ad paucos, vere tepente, dies.
Sepoſitiſque cibis privata in lance ferendis,
  Muneret hunc tremulo vertice canus avus.
Ipſa neat puero mater ſtudioſa lacernam,
  Qua contra brumæ frigora tectus eat.
At non cæſaries ferro candente vibretur,
  Nec ſit Orontæo mollis odore manus.
Vix formæ ſuccedit amor, cum Pallade Phœbus
  Cedit, & Aoniæ, turba novena, Deæ.
Ne tamen hæc facias, ſi te vel Curia magno
  Diſtrictum rerum pondere forte vetet:
Aut proceres inter domina verſaris in aula,
  Publicus aut patriæ frena Senator agis,
Elige convictus; (34) ſic uno tempore prolis
  Moribus, & ſtudiis conſuluiſſe potes.
Qua vetus Agrippæ templum eſt, ſublimis ad auras
  Tollitur, ex omni parte dirempta domus.
Obvia porticibus ſe ſe explicat area vaſtis,
  Apta rudimentis, cruda Minerva, tuis.
Hic choreas nectunt, hic ludicra prælia miſcent,
  Nobile frænatis lucet & agmen equis.
Atria ſed nimium lentum ne prima morentur,
  Nunc aliò cum te nobilis Aula vocet.
Aſpice diſpoſitas ſublimi in fornice ceras
  Quiſquis es, & magnam devenerare domum.

Aſpice Romulei tot lumina clara Senatus,
  Quos Tyrii rarus muricis ambit honor.
Vis regnatrices cœli, terræque tiaras
  Cernere? quas cernas, Aula ſuperba dabit.
Patrum ſacra comas queis protegit infula, turbam
  Ire per immenſam lumina feſſa negant.
Cum tamen innumeris pacis decorata trophæis
  Sit domus hæc, ſtudiis frigida Martis erit?
Non tot ad Iliacæ venerunt præmia palmæ,
  Signa ſub Atridæ, lumina prima, duces,
Non tot Achæmenios fraterna ad bella profectos
  Ductores hauſit Martis utrinque furor,
Quot domus iſta duces præclaros protulit armis,
  Seu terris gererent prælia, ſive mari.
Hac dum ſæpe puer tacitus ſpatiatur in Aula,
  Hæc illi quantum ad grandia calcar erit!
Sic onerata videns generoſis atria ceris
  Scipio, & Æmiliæ clara trophæa domus,
Evertendæ animos olim Carthaginis altæ,
  Bellaque præcepit mente futura puer.
Parte alia pandit vaſta ſe mole theatrum;
  Hæc quoque non unis uſibus aula patet:
Namque ubi ſat luſum per ludicra tempora Bacchi,
  Tempora quæ ſoccus, quæque cothurnus amat,
Palladis hæc iterum tranſcribi gaudet ad uſus,
  Totaque Palladiis perſtrepit icta ſonis.
Seu juvat Aonio deducere vertice muſas,
  Sævaque Mœoniis bella tonare modis,
Seu Peripatheticæ rimari dogmata chartæ,
  Altaque divini noſcere ſcita Thomæ,
In medium diſcunt: tum circumſtante corona,
  Præmia quiſque ſui certa laboris habet.

Quanta

Quanta domus probitas! quam tuti a judice mores!
  Qui pudor, & veri quantus honoris amor!
Sensim Roma suos ad grandia format alumnos,
  Et magnis rerum pascit imaginibus.
Non clypeum Mavors, non arcum semper Apollo,
  Pallas & anguiferæ Gorgonis arma gerit.
Juppiter Ætnæo nonnunquam a fulmine cessat,
  Et ducit nectar, qua tulit arma, manu;
Ergo per autumnum, cum Romæ plumbeus Auster
  Imminet, & proceres proxima rura petunt,
Tibur secedunt, ubi vertice villa superbo
  Surgit, grande tuæ, Spinula, mentis opus,
Palladis hic studiis non longum ad tempius omissis,
  Omnibus ingenuâ est cura quiete frui.
Detinet hos Anio, dum per juga spumea montis,
  In medium abrupto scinditur amne cadens.
Pars genium mirata loci, se simplice pascit
  Æthere, prospectu liberiore fruens:
Rudera pars relegit, veterem spirantia fastum,
  Ruraque magnificis condita Cæsaribus.
Villa sinu reduces mox excipit ampla beato,
  Ingenuaque parat conditione dapes.
Mille dat hæc ludos, mille oblectamina pandit;
  Hic canit, hic dulces temperat arte fides.
Ille pilam versat, quatit alter follibus auras,
  Brachiaque obnubit denticulatus acer.
Rustica sæpe etiam nullo Comœdia comptu,
  Effundit subitos facta sine arte sales.
Dant plausum montes; reduces gratatur ab antro,
  Annosum quatiens cana Sybilla caput.
At vos o lecti juvenes, spes maxima Romæ,
  Sanguis ab Ausoniis integer haustus avis,

Qua vos durus honos, qua somni nescia virtus
  Invitat, celeri protinus ite gradu.
Floriferum per iter, qua mollia prata voluptas
  Explicat, ignavus quilibet ire potest.
Ardua virtutis via vobis, arctaque laudis
  Semita, quam monstrat gloria, digna premi est.
Imbelli latuit donec Lycomedis in aula
  Pelides, vixit degener ipse sibi.
Mox crepitante tuba Trojana vocatus ad arma,
  Grande juventutis lumen, honorque fuit.
Quis fuit Alcide major, dnm vindice clava
  Toto impacatas perderet orbe feras?
Ast ubi Mœoniæ servilia pensa puellæ
  Duxit, progenies non Jove digna fuit.
Cernite quo virtus adolescat vestra theatro:
  Instituî quantum est principe in Urbe decus!
Roma faces vobis juvenili in pectore subdat,
  Virtutis sedes Roma, decoris apex.
At tu, parve Liber, quid in altum mitteris æquor,
  Cum desint cymbæ grandia vela tuæ?
Desine jam tandem: deceat quæ norma juventam,
  O te quam melius præcipit ista domus!

VITA

VITA OECONOMICA

LIBER TERTIUS.



Unc age, divitiæ (1) qua ſint tibi lege parandæ,
Exequar, in famulos jus & herile canã.
O felix gens priſca virûm, melioribus annis
Edita, cum rectum vita teneret iter.
Tunc bene vivebant (2) parvo; tunc copia dives;
Cum lare parvus ager, bos & arator erat.
Nondum cæca maris viſura pericula puppis
Solverat, alterius ferret ut orbis opes.
Nondum rupta ſacri ſpiracula Ditis, ut aurum,
Montibus effoſſis, erueretur humo.
Aſt ubi (3) dira fames & amor ſucceſſit habendi,
Excidit ex tantis publica vita bonis.
Scilicet ut gemma poſſis potare, vel auro,
Quæ dat vina Chios, quæque Falernus ager;
Ut tua Tænariis ſtent atria fulta columnis,
Veſtiat & Lybicas bractea fulva trabes.
Sola mali tanti ſcelerata pecunia cauſa es:
Non poteras Stygio merſa latere lacu?
Tu facis averſos Superis, cœloque rebelles,
Ad ſcelus, & fraudes tu via certa pates,
Auro pulſa fides ceſſit, vetus exulat auro
Relligio templis, & Themis alma foro;

Aurum armat fratres, auro solvuntur amici,
Ipse nec est nati tutus ab ense pater.
Desine sed tandem tua per convicia, tanti
Criminis immunes carpere, Livor, opes.
Nos, nos peccamus, non res; vitiisque nocentes
Pabula, queis crescant, materiemque damus.
Num faber in culpa est, in te si verteris ensem,
Quem prius in sævas condidit ille feras?
Terra parit vicina rosis aconita; quid ipse
Præteritâ carpis sæva venena rosâ?
uc itur hic recte, male ducitur alter ab ira,
Hic vitii titulum, laudis at alter habet.
Res bona (4) divitiæ: nihil ipsa pecunia peccat;
At malus immeritas polluit usus opes.
Auro templa Deûm decorantur; divite cultu
Vult sua Relligio templa verenda coli.
Auro freta magis, quam ferro regia constat
Majestas; aurum tolle, jacebit iners.
Saturni illuvies nostros mansura sub annos,
Auri ni pridem pulsa nitore, foret.
Dumque vagum terris huc, illuc navigat aurum,
Jam domus ex cunctis gentibus una sumus.
Hæc bona sunt auri: nunc tempus solvere puppim:
Pauca sed in primo limine disce prius.
Non ego divitias (5) auctor sine fine parandi
Sum tibi; lex artis prima sit ista meæ.
Exedit hinc animos semper timor anxius; effert
Hoc & avarities sordida fonte caput.
Hoc, atque illud emam; pergam mercator ad Indos,
Stat maris extremos findere puppe sinus.
Illinc, dives habet seu quas Panchaïa merces,
Seu Tyros, in patriam, dona beata, feram.

Interea

Interea mensâ tristis tibi victus acernâ
Ponitur, & raro lucet ab igne focus.
Filia dote caret jam plenis nubilis annis,
Uxor & in vili cyclade signat humum.
Quid juvat aggesto recubantem duriter auro,
Non placida somni posse quiete frui?
Cernis, ut æsculeam recubet securus ad umbram
Pastor, quem circum dulce queruntur aves.
Rupe licet dura pelagi piscator ad undam
Sternitur; ante pedes hamus, & esca jacent.
Somno dives eget, cui sordidus ardor habendi
Vulturis in morem corque, jecurque premit.
Ah pereat, cuicunque sacer sic nummus in arca
Conditur, ut domino commoda nulla ferat.
Effuge divitias, (6) sapiunt quæ fœnus, avaras,
Quæque tibi justi causa pudoris erunt.
Scilicet ut quoties tua prædia viserit hospes,
Ingerat in domini scommata mille caput,
Atque aliquis spectans operosa palatia, dicat,
Sordidus hæc multo fœnore struxit eques.
Casta, bonisque volo tibi sit quæsita supellex
Artibus, & nulla parte pigenda sui.
Hæc manet hæredes; quin fluminis instar eundo
Crescit, & in longa posteritate viget.
Contra quæ turpes fuerit collecta per artes,
Diffluit, atque suo rara superstes hero est.
His ita propositis, primaque in fronte locatis;
Accipe, qua fieri dives ab arte potes.
Fructibus (7) e patriæ primum ditescere terræ
Cura sit; hæc ad opes janua prima patet.
Scilicet hæ certo redeuntes orbe per annum,
Sunt minus instabili munera fixa loco.

Adde, quod ingenuis ortæ quoque fontibus; & nil
  Unde rubor domino concilietur, habent.
Non hæ ſanguinei ſunt triſtia munera Martis,
  Quas ferus invito victor ab hoſte rapit.
Aula dabit cenſus, ſed partos fraude, doliſque,
  Lucra dabit mendax ſæpe pudenda forum.
Quas tellus dat opes, natis dat mater alendis,
  Munera deque ſuo promit honeſta ſinu.
Aſpicis, ut ſcindi ſe ſe patiatur aratro,
  Perferat & duri triſte ligonis onus?
Quoque magis vexata, magis reſpondet amice,
  Ceſſas? ingrata de pietate dolet.
Quam male dux, ſævi cui non præcepta Gradivi
  Nota prius, fortes ducet ad arma manus!
Quam male, ventorum cui non vis nota, magiſter
  Vela procelloſis per mare pandit aquis!
Tu quoque, qui quæſtu diteſcere quæris honeſto,
  Quæ dat opes facilis tutaque, diſce, via.
Fallitur Æeas ſi quis deſcendit ad artes,
  Comparet ut magicâ ſordida lucra manu.
Ter centum tonat ore Deos; Erebique profundi
  Pallida diſrupto devocat ora ſolo.
Alter avellanæ fretus curvamine virgæ,
  Quo trahat hanc auri lamina fulva, notat.
Eſt quoque, qui propius ſcrutatur viſcera terræ,
  Ditis & admoto lumine terret equos;
Scilicet ut longis pulſata ligonibus, illi
  Teſta repentinas fracta refundat opes;
Rudera vel potius ſignis inſcripta vetuſtis
  Eruat, aut priſcâ facta ſigilla manu.
Quid tibi cum vanis demens eſt artibus? aurum
  Terra dat, at fuerit ſi bene culta prius.

Ergo

Ergo age, (8) quid cessas? qua prædia lege colenda,
Discito; quidve petat, quidve recuset humus.
Quas tibi præ reliquis præstent emporia merces,
Quæque suis regio dives habenda bonis,
Nobilior qua surgat equus de gente, torosos
Signaque quæ monstrent, invalidosque boves.
Quove loco pluris prostent venalia, quove
Vilius, & pretium ponere doctus emas.
Præcipue studiosus agri, non maxima tanti
Rura tibi ad quæstum, quam bene culta, putes.
Finibus (9) Ausoniis Levinus nomine quondam
Vir fuit, antiqua simplicitate bonus:
Non illi centum versabant rura juvenci,
Innumeræ nec oves vellera secta dabant;
Census erat pietas bene magnus; dives abunde,
Quod sibi pauperies munda, decensque foret.
Sæpe Deos parvi custodes ruris adibat;
Hic mos, cum ludos pagus agebat, erat.
Et Cereri intortam spica lactente coronam,
Et Baccho ex hedera serta virente dabat.
Surgere mane novo primus, sumptoque ligone,
Et gravibus rastris putre movere solum.
Quod vir, idem conjux, quod conjux, filia præstat
Nubilis, assiduo Sole perusta genas.
Primus abundabat frumento, primus olivo,
Primus vina cadis condere, mella favis.
Hinc piger in vultum Livor conversus anilem,
Ringitur his visis, tristitiemque capit.
Mox paganorum cum turba frequentior esset,
In medium, jacto se prius angue, tulit.
Atque ait, hujus ager quid sit, quod semper abundet
Præ reliquis, liquido cognita causa mihi est:
Vidi

Vidi ego cum segetes nostris transferret ab agris,
Et sua nocturno conderet ora lupo.
Vidi ego cum magico turbaret sidera rhombo;
Lunaque cantatis pallida staret equis.
Ergo impune feret? coram prætore trahatur
Perfidus; hìc maneat debita pœna reum.
Dicta dies aderat; prima sub luce colonus
Judicis intrepida mente tribunal adit.
Rustica, quotquot erant, secum instrumenta, laboris
Attulit huc testes, certaque signa sui.
Cernere erat longos usu splendere ligones,
Grandiaque attritâ rastra peresa manu.
Non deerant tortæ modico curvamine falces,
Quæque sibi Bacchus poscit, & arma Ceres.
Sedit ubi prætor; baculo subnixus acerno
Rusticus, hos certo protulit ore sonos.
Hunc bona sponte sua faciebat causa disertum,
Quæ plus arte, caret quo magis arte, valet.
Scilicet huc hominum devenit inertia, iniquo,
Ut bona quæ spectat, carpere dente velit?
En quibus accusor magicæ reus artis, ademptas
Quodque aliis segetes, in mea rura vocem.
Quas segetes primum? quas non severe? satasque
Quas pigro macies occupat atra situ?
Gratia Cœlitibus! nam nil, sine numine divûm
Gens hominum in vita, quod bene vertat, agit:
Post, manibusque meis, charæque uxoris, & isti,
Unica quæ thalamo filia nata meo est.
Scilicet his operum semper consortibus utor,
Pervigil ante diem, Luciferique rotam.
Nec desunt testes, si testes forte requirit
Causa, veneficii deprecer unde notam.

Dixit,

Dixit, & in medium terræ inſtrumenta colendæ
Proiicit attoniti judicis ante pedes.
Tum graviore ſono: teſtes ſi quæritis, adſunt,
Iſta veneficii cernitis arma mei.
Talibus auditis mirari prætor: & iſtis
Pro factis, laudem jure mereris, ait.
Nec genus hoc magicæ damnandum eſt artis, honeſti
Unde ſibi victus commoda quiſque petat.
Plauditur: at Stygiam ſe merſit Livor in undam,
In ſua laudatus rura colonus abit.
Et terram (10) veſtire decet quoque; conſita tellus
Si bene ſit, multis fructibus uber erit.
Eſt tibi rure bono generoſæ fertilis uvæ
Vinea, ad ingenium nata, Lyæe, tuum,
At non culta ſatis; raro ſtant ordine vites,
Palmes humi ſerpit, vinea ſepe caret;
Pone novas vites, ſit vitibus addita ſepes,
Ne ſerpant per humum, fulcra colurna regant.
Rure domus vetus eſt, ſarcito; grandia ſaxa
Congere, ſi tumidis rivus abundat aquis.
Nec tu differ opus; ceſſantes terra miniſtros
Odit, & ignavas devovet illa manus.
Paſcite, qui paſci cupitis: bene paſcite rurſus;
Vita per has hominum conſtat alenda dapes.
Divitiæ hæ (11) quondam regumque, ducumq; fuerunt,
Tunc, cum fraus aberat, rectus & orbis erat.
Mille boves Abram ſpecula ſpectabat ab alta,
Mille & tondentes fertile gramen oves.
His quoque divitiis ſtabat Labanus, & ingens
Jobus, Idumæi gloria prima ſoli.
Sint tibi, qui fortes invertant rura, juvenci,
Quoſque loces aliis ad juga panda boves.

Adde

Adde & equos, onagrosque, & aduncis cornibus uros,
Suffice & his sobolis germina lecta novæ.
Pars ad trituram, ductandis altera plaustris
Utilis, urbanis pars erit apta rotis.
Quid juvat impresso tellurem vertere aratro
Semper, & assidua sollicitare manu?
Da requiem terræ; pecori sic gramen alendo
Sufficit, intacto dum vacat illa sinu.
Artibus his addas, quæ pars est maxima census,
Lanigeras pecudes, setigerosque sues.
At prosunt in morte sues, dum sanguine cultros
Imbuit, & grata se dape pascit hyems:
Non ita lanigeræ (12) pecudes, quæ commoda vivæ,
Commoda quæ cæsæ plurima ferre solent.
Vellera sufficiunt, raro quæ pectine textor
Digerit, & lanas non sinit esse rudes.
His tegimur nudi; primique immane parentis
Sorte pari crimen femina, virque luunt.
Atque aliqua in Tyrio dum se circumspicit ostro,
Nescio cujus ovis vellere compta tumet.
Lacte juvant etiam, primo quod mane per urbem
Titirus in calatho versicolore vehit.
Vel cum conficitur, mensis accepta secundis,
Expresso lactis candida meta sero.
Hinc bene cum silvis dispersum erraret in altis,
Humanum, nulla lege premente, genus,
Maxima pars ductabat oves, quod viva supellex,
Ad victumque forent semper aperta penus.
Aurea tunc vere Saturno rege fuerunt
Secula, perpetuum ver & agebat humus;
Tunc residens in valle cava, vel culmine montis,
Mulcebat saturas carmine pastor oves.

Nulla

Nulla erat ambitio, puduit non tempore tali
  Cum noſtra immixtos vivere gente Deos.
Tunc Themis errabat ſilvis, incompta capillos,
  Cui latus innocuus pone tegebat Amor;
Nympharumque chorus cum cornigeris Satyriſcis,
  Et calamo Panes carmen hiante dabant.
Quam bene cum certis fundaret legibus orbem,
  Providus immenſæ conditor ille domus,
Diverſis diverſa locis bona ſparſit; in uno
  Nec ſimul aggeſſit munera cuncta loco.
Fertilis hæc oleis, ſed non ita commoda Baccho,
  Frugibus hæc tellus utilis, illa minus.
Qui proprii regionis (13) erunt, circumſpice, fructus,
  Dives & ex propriis fructibus eſſe velis.
Plurimus in patriis ſi bombyx provenit oris,
  Multa tuos, cura, morus inumbret agros.
Quod ſi foſſilium venis, & fœta metallis
  Terra ſit, e latebris erue utrumque ſuis.
Felix ante alios, cui ſilva in montibus altis
  Tonſilis impexâ ſurgit ad aſtra coma.
Nam licet hanc nec aret, nulloque ligone fatiget,
  Nec ſaturet pingui proxima teſqua fimo,
Quin magis adverſis impulſa aquilonibus, imbres
  Sentiat, & ſævi tela triſulca Jovis,
Dum domibus fert illa trabes, maloſque carinis,
  Lucra quieſcenti multa miniſtrat hero.
Nec tu glandiferos ſaltus mihi deſpice; frangunt
  Unde ſibi læti pabula grata ſues.
Nec piceæ deſint, nec caſtaneæ hirſutæ,
  Pinus & Arcadio ſemper amata Deo.
Uſibus humanis qua non eſt aptior ulla,
  Uſibus apta tuis Palladis arbor erit.

Artibus

Artibus his, aliisque tibi quæsita supellex
  Cum jam non unis creverit ampla locis,
Præfice quos (14) fidos probitas spectata ministros
  Fecerit, & quorum rumor in urbe bonus.
Hoc opus, hic labor est: qui non sua commoda spectet,
  Vix tibi de multis millibus unus erit.
Sæpe procurator nimium sibi multa procurat,
  Pluraque quam domino prospicit ipse sibi.
Quid piger hic hæres? tua si bona negligis ultro,
  Pro te qui curet non sua, rarus erit.
Hi tibi continuò patrio sunt rure movendi;
  Quos sua præ domini quærere lucra vides;
Opprime & interdum; tum, quo non tempore credunt,
  In tua venturum rura, subinde veni.
Et furtim submitte alios, qui singula narrent;
  Sic minus agricolis decipiendus eris.
Sed magis ex usu fuerit, si prædia coram,
  Aut rheda, aut celeri vectus adibis equo.
Creber adi campos, pecuaria vise frequenter,
  Commoda suscepti multa laboris erunt.
Sic creber (15) quem spectat herus, præsepia visens,
  Præ reliquis pingui tergore turget equus.
Ipsa etiam domini dum passibus arva teruntur,
  Nescio quo fiunt fertiliora modo.
Hactenus in terra consedimus; æquore aperto
  Nunc juvat audacis pandere vela ratis.
Lucra petituræ (16) portu discedite puppes,
  Jam liquidum nautis aura secundat iter.
Omnibus properate bonis; tumida æquora placet
  Æolus, & vinclis noxia flabra premat.
Nereidumque chorus, Tritonumque hispida pubes,
  Æquoream sternant, prævia turba, viam.

Quem

Quem ſua terra juvat, cui ſunt in amore penates
Ante ſuum ſedeat, tutus ab imbre, focum.
At non Traprobanes ſperet diteſcere gemmis,
Quas niger in viridi colligit Indus aqua.
Aſpicis, ut primos remorum concita pulſus,
Senſit ab Argoo remige ſciſſà Thetis?
Si Minyis patriæ placuiſſent otia, nullus
Aurea Phryxeæ terga tuliſſet ovis.
Mercibus at puppes ſæpe obruit æquor onuſtas,
Quaſque dedit, repetit pontus avarus opes.
Fallit & ipſa fidem tellus; ſed aratra colonus
Ducit in infido rurſus, ut ante, ſolo.
At mercaturis (17) rem quærere, vita putatur
Decolor, ingenuo non ſatis apta viro.
Audio, ſi tenuis, ſi viles indiga merces
Tractet, & indecori lucra minuta manu.
Ne tamen infido credas ſimul omnia ponto,
Aſpice, quot laceras monſtret arena rates.
Quin, collecta mari quæ lucra paraveris ante,
Accipiat ſtabili terra paterna ſinu.
Utque tibi caveas, (18) diverſa negotia ſolers
Inſtrue, diverſis dives & eſto locis.
Quid cunctaris aduc? nautarum in littore pubes
Læta fremit; pelago ſolve, age, vincla ratis.
Exportare foras nunc, nunc juvat ordine merces,
Queis tua præ reliquis dives abundat humus.
Mox tibi fac redeant peregrina merce refertæ,
Queis tua præ reliquis indiga terra, rates.
Si vendis quod vile domi, recipiſque viciſſim
Quod carum, parvo tempore dives eris.
Quam bene de noſtris hinc copia rebus, & illinc
Pauperies merita eſt! ſed, reor, iſta magis.

Paupe-

Pauperies teneris commisit semina sulcis,
  Primaque ruricolas duxit in arva boves.
Pauperies toto commercia distulit orbe,
  Ausa per intactas æquoris ire vias.
Aurum pauperies (19) invexit; primaque nummum
  Fecit, ut Ammericâ discere teste potes.
Terra ferax auri, rerum tamen indiga, vitæ
  Quas sibi communis postulat usus, erat.
Non ibi maturis flavescens campus aristis,
  Nulla Thyoneæ munera vitis erant.
Consulitur Tellus; numen Telluris ubique
  Sanctum est; hæc adytis talia verba refert.
In mea continuò convertite viscera dextras,
  Ossaque subjectis urite nostra focis.
Omnibus in terris mox hæc dispergite, vita
  Sic dabitur vobis commodiore frui.
Jussa Deæ primum non mitia visa; parentis
  Nempe quis effodiat, spargat & ossa suæ?
Cum sacer his vates nutantia pectora firmat,
  Et stulta populos Relligione levat.
Et dubitatis adhuc magnæ parere parenti,
  Tunc quoque cum nostris usibus apta monet?
Viscera sunt terræ, quæ montibus antra teguntur,
  Ossa reor, solidi quod magis intus inest.
Scilicet ut montes terebremus, quidquid & intus
  Durius est, passim spargere Diva jubet.
Talibus impulsi dictis, vallosque, sudesque,
  Armaque rumpendis montibus apta parant.
Vix sacræ patuere specus; lux prodidit aurum
  Prima, sed hæc multâ nubila labe fuit.
Tum magis, atque magis novus increbrescere splendor,
  Sensit ubi admotos lucida massa focos.

Tunc

Tunc majore animum perculſus numine vatės,
Tales fatidico protulit ore ſonos.
Gratulor, Ammerice, non tu deſerta jacebis,
Omnibus & vitæ pauper, ut ante, bonis.
Quot video ferri noſtra hæc ad littora gentes,
Quam varios cultus, quæ procul ora lego!
Claſſibus Oceanus vix ſufficit; Anglia merces,
Itala & huc mittet, gens & Ibera ſuas.
Publica cauſa viæ populis erit omnibus, aurum;
Hac tu quam multos dote ſuperba trahes!.
Tuque metallorum princeps, & grande Deorum
Munus, regali jam cape ſceptra manu.
Ex te quam melius conflanda pecunia poſthac
In toto dominum proferet orbe caput!
Per te tuta fides, per te commercia ſtabunt,
Tu commutandis regula rebus eris.
Eſt tibi materies, quæ nullos temporis ictus
Sentiat, eſt pretio conciliatus honor.
Rarum eris in terris, neque enim naſceris ubique,
Tu minima loculos mole gravare potes.
Dumque tuo Princeps mox ſcintillabit in orbe,
Menſuram, & pretium, Principe dante, feres.
Mox, ut Diva monet, quæ lucida protulit oſſa,
Non interpoſita ſpargite ubique mora.
Nulla quies auro; gentes mittatur in omnes,
Naviget, & fluvii more perennis eat.
Omnes humanæ vitæ vertatur in uſus,
Pacta liget, pactis adſtipuletur, emat.
Pondus iners contra, nulliſque erit uſibus aptum,
Arca quod incluſum ſervat avara domi:
Inque ſuum dominum tacite pugnabit, & illi
In caput intentus ſemper ut enſis erit.

Plura nec effatus, documentum grande reliquit,
Quæ vis auro insit, qui modus, unde genus.
Falleris, inclusum centum qui clavibus aurum,
Arcâ, ne fugiat, corde micante premis.
Exeat e loculis quæsita pecunia, rursus
Pluribus ut redeat quæstibus aucta domum.
Non ego nunc (20) omnes auri tibi persequar usus,
Paucos e multis, præcipuosque legam.
Indiget hic numinis; justo cum fœnore nummos,
Ut sortis caveas damna futura, dato.
Sunt loca, ubi crescit collecta pecunia montis
Instar, & hinc montes Itala lingua vocat;
Si tua vis crescant, furesque evadere possint,
Huc celeri confer sedulus æra manu.
Versuræ genus est, per quam mutatur, & errat
Solvendus certa numinus ubique fide;
Non mihi, divitias censu de paupere ad amplas
Hac qui venerunt arte, referre vacat.
Quod si bella tument circum, titubetque forensis,
Omnia Bellonâ diripiente, fides,
Tolle moras omnes; primo subducito mensam
Tempore, ne tristes mensa det ista dapes.
Sunt (21) quoq; tuta minus, nonnulla; sed æris acervos,
Si modo successu non caruere, ferunt.
Publica cum quisquam positam licitatur ad hastam,
Et jus, quo solus vendere possit, habet.
Hæc odiosa tamen, dirisque obnoxia vulgi.
Si sapias, alio retia pande mari.
Sunt fora, sunt portus, sunt apti quæstibus amnes,
Et quæ squammigero pisce natantur aquæ.
At male sit vobis, quos nil, nisi grandia lucra,
Damna per alterius sæpe petenda, juvant.

Parva

Parva licet fuerint, si sint modo plurima, sensim
  Quæstibus e parvis grandis acervus erit.
Dum thyma summa legit, nec flore moratur in uno,
  Multos melle favos sedula complet apis.
Horrea distendit granis formica minutis,
  Pondere dum gracili sæpe gravata redit.
Disce etiam coëat, redeuntibus ordine ludis,
  Qua mercatorum cœtus in urbe frequens:
Hic tua vende prius (22) semper, mox ære redacto,
  Quæ placeant, facili conditione para.
Et facies, lucro si dum satiatus avarus
  Institor, extremo tempore serus emas.
Scribe frequens, stipulare frequens; nunc accipe numos,
  Nunc dato, & in tabulas cautus utrumque refer.
Crebro appellandi, (23) qui debent æra, sodales,
  Nomina ne fiant deteriora morâ.
Discite & ingenuas, (24) lucrum qui quæritis, artes,
  Æra dabit vobis Pallas, & æra Themis.
At cave quæsieris, tibi si ditescere mens est,
  Inter Apollineos nomen habere choros,
Ut circumfusâ multum laudere coronâ,
  Invenies vacuas pauper, ut ante, manus.
Juverit ad Coæ divertere dogmata chartæ,
  Hæc pariter Clario subdita cura Deo est.
Commoda dum vitæ nova profert, sordida quamvis
  Pulvere, quod numeret, docta mathesis habet.
Utilis est multis torrentis copia linguæ;
  Hanc cole; divitias lingua diserta dabit.
Effuge sed viles artes, quibus una voluptas
  Quæritur, & nullum mentis acumen inest.
Dat quoque quæsitas naturæ arcana latentis
  Cognitio, & studium nobile mentis, opes.

Aſtra, polumque Thales complexus mente, videri
Vix ſanus poterat, compos & eſſe ſui :
Quid facis? inclamant, & te male perdis? amici,
Qui modus? o vitæ parce, vir ample, tuæ.
Quid tibi cum ſignis curſum moderantibus anni?
Quid cœlo affixus nocte, dieque ſedes?
Pauper es, & tecum conjux pauperrima vivit,
Pauperies natos ſumma, domumque premit.
At non Gnoſſiacæ ſignum cœleſte Coronæ,
Quo ſuſtenteris tuque, domuſque, dabit.
Impendere oleis ſteriles ſine fructibus annos,
Ex vitio cœli viderat ante Thales,
Viliter hinc oleum captato tempore prudens,
Copia cum liquidæ Palladis eſſet, emit,
Mox juſtò vendens, cum ſumma urgeret egeſtas,
Terraque Palladiis fructibus orba foret,
Ad magnas pervenit opes; mirantur amici,
Cur ſubito factus dives, & unde, rogant;
Ille docet cauſam; ſimul hinc quoque diſcite, dixit,
Quam nihil infidæ munera ſortis amem:
Hæc bona fluxa; ſuis Sapientia præſtat alumnis.
Quæ bona, non ullâ ſunt peritura die.
Nec quià ſunt plures, (25) thalami tibi pignora, nati,
Pauperiem rebus fac vereare tuis.
Prædia tot mihi crede, thori quot pignora, natos,
Hi modo ſi certa lege colantur, habes.
Munia fac tantum vitæ diverſa ſequantur,
Nil tamen invitis præcipe, dure pater.
Qui prudens, qui dexter erit, legandus ad aulam,
Sæpe eſt cultori fertilis aula ſuo.
Verborum parcus, durique laboris amator,
Aptus, qui ruri prædia curet, erit.

Semper

Semper in his unus tibi ſit qui litiget, & qui
  Verboſi tractet garrulus arma fori.
Hæc dixiſſe ſatis; (26) nummis qui plura parandis
  Noſſe cupit, Jani conſulat ille forum.
Sed tamen erravi; mea dicta retexere cogor,
  Reſtat adhuc monitis clauſula ſumma meis.
En ego qui fœnus (27) damnavi, fœnoris auctor
  Sum tibi; diverſam cogor inire viam.
Fœnore, ſi ſapitis, Superos obſtringite veſtro;
  Fœnoris hoc damnat non Deus ipſe genus.
Pauper erit, qui voce ſtipem te ſupplice poſcet,
  Porrige, quam poſcet ſupplice voce, ſtipem.
In curſu ratis eſt, pereat ne forte, timebis;
  Ne pereat, dives ſupplicet arca Deo.
Cætera ſunt ſortis, caſuque rotantur iniquo,
  Nil ſtabile eſt, fixum nil ſolet eſſe diu.
Sæpe Ceres avidi mentitur vota coloni,
  Sæpe tibi fallit vinea, ſæpe pecus.
Non malus (28) ex fundo veniet tibi nuncius iſto,
  Hic domini nunquam vota fefellit ager.
Cedant Gangaridum felicia meſſibus arva,
  Cedat & auriferi dives arena Tagi.
Non his divitiis certet Pactolus, & Hermus,
  Quæque in Erythræa concha ſuperbit aqua.
Palmiferam qua parte rigat Jordanis Idumem,
  Nomen Eliſæi nobile vatis erat.
Si jubet, arva Ceres immenſis frugibus implet,
  Uvaque purpureo turget opima mero.
Si jubet, atra fames ſqualentibus incubat arvis,
  Nec ſeges in campo, nec viret uva jugo.
Flumina vult ſcindi? veſtigia ſicca per undas,
  Jordane in partes diſſiliente, premit,

Salſa lacunoſis exudat fontibus unda,
Cedit ab immundis pulſus amaror aquis.
Cum tantus tamen ille foret, ſe ſcilicet unum
Spernit, & in cultu paupere vivit inops.
Hiſpida palla tegit; tortoque cucurbita collo
Fluminis in potum prona miniſtrat aquam.
Sæpe famem cruciat colochyntide paſtus amara,
Sæpe thorum feſſo ceſpes, & herba dabat.
Una tamen terrâ dives Sunamitis in illa,
In ſua quæ vatem tecta vocaret, erat.
Sella, breviſque thorus, tum fagina menſa, ſupellex
Pauperis hoſpitii parva, ſed apta fuit,
Ampla tamen meritis merces eſt reddita; vatis
Protinus optatam femina ſenſit opem.
Filius occiderat florentibus unicus annis,
Cum natum mater rurſus adepta ſuum eſt.
Altera munificum ſenſit quoque femina vatem,
Commoda quod vati, comis & ante fuit.
Protinus officii pretium decurrere juſſit,
Quod caperent oleum vaſcula nulla ſatis.
O ſtipis exiguæ vis præſentiſſima! felix
Cui dives magnum fœnerat arca Deum!
Hactenus (29) unde pares, dixi, nunc accipe, partas
Unde tibi ſerves, candide Lector, opes.
Utile conſilium, lucro deſiſtere tandem,
Nec cupidas quæſtus ſemper habere manus.
Quis furor eſt dubiæ ſemper confidere ſorti,
Quæ ſtabilem nulli ſervat amica fidem?
Tranſvolat huc, illuc, dedignaturque teneri;
Hei mihi! quam volucri nititur illa rotâ!
Sic, quia, qui vicit, vult ſemper vincere luſor,
Et quas vicit opes perdit, itemque ſuas.

Sic,

Sic, quia se infido non vult subducere ponto,
  Perditur in mediis plurima navis aquis.
Utere jam (30) parto; certusque sit usus in illo;
  Præteritus labor est, nunc juvat una quies.
Rusticus ante focum paganæ fercula mensæ
  Explicat, exhausto grata labore magis.
Et venator apro, quem cæpit montibus altis,
  Vescitur, & fido porrigit exta cani.
Quid juvat immensum protendere vota per ævum,
  Nestoreos animo præcipiente dies?
Quid, si dum nova mente struis, majoraque, jam mors
  In te fatiferum sæva terendit ebur?
Non tamen hinc jubeo momento perdere, longâ
  Quæ tibi solicito parta fuere die.
Guttatim quæruntur opes, mox fluminis instar
  Præcipiti lapsu, vix patet arca, fluunt.
Ut semel abscessere, voces, revocesque licebit,
  Non domini repetant rursus, ut ante, manus.
In primis, ut parcus (31) opes, frugique ministres,
  Natorum ante oculos dulcis oberret amor.
Ut bene sit, fato postquam concesseris, illis,
  Hæreat hæc animo provida cura tuo.
Hinc aliquis manesque (32) patris, cineremque sepulti
  Devovet, & frendens talia dicta jacit:
Hic ager, illa domus, facilique in colle recumbens
  Vinea, dum licuit, census avitus, erant.
Scilicet hæc olim, legum contemptor, & æqui,
  De solido dempsit prodigus ille pater.
Adde quod ad varios servanda pecunia casus,
  Quos nec opinanti vitaque, forsque parant.
Et jam sæva lues pecudes interficit, & jam
  Sirius undantes messibus urit agros.

 Nunc

Nunc tibi quæ dives peregrinâ merce redibat,
Mergitur in mediis fracta carina vadis.
Nunc tibi...sed stultus, qui per mala singula vitæ,
Quæ patet innumeris casibus, ire velim.
Quam minus adversæ ferient te spicula sortis,
Si tua congesto fulta sit ære domus!
Litibus abstineas: (33) cito qui vult pauper abire,
Litiget; hæc brevior, si cupis ire, via est.
Quot sibi scriba loquax, quot vindicat æra patronus,
Et procurator Mutius Auricula!
Frange voluntates; (34) quidquid super effluit, arce;
Auribus, atque oculis multa neganda tuis.
Quid tibi semivirùm Cybeleïa turba per ædes
Cursitat? & nimis semper adesse cupis?
O quam dulcè suis resonat tinnitibus aurum,
Quam liquidum fundit plena crumena melos!
Non huic Dircæi certent modulamina vatis,
Plectra nec Orphæâ solicitata manu.
Quas dare pauperibus, quas natis parcere præstat,
Scilicet has vilis cantor habebit opes?
Luditis o, prisci quos docta toreumata cæli,
Parrhasiique juvant, Protogenisque manus.
Scilicet ut tabulam pretio quo vinea duci
Possit, dum sumptus stringere quæris, emas?
Qui pro te spondet, qui mutua tempore solvit,
Hic tibi Protogenes, hic tibi Mentor erit.
Quid, si præcipiam, ne, quæ patrimonia perdit,
Detineat cupidas alea vafra manus?
Ut rem non perdas, certe pretiosius auro
Prodigis in nugas tempus inane leves.
Præceptis instructa meis de paupere censu
Facta satis fuerat dives, & ampla domus.

Luxus

Luxus ut invaſit, ſimul huc invaſit egeſtas,
Ille præit, tacitis paſſibus iſta ſubit.
Servorum numeroſa manus, convivia, currus,
Purpura, & argenti ſplendor ubique nitens,
Quæ non evertunt patrimonia, quamlibet illa
Divitias æquent, Craſe beate, tuas?
Quid tibi (35) cũ platanis, quid cũ Daphnitide ſylva,
Secta quid in longas buxus opaca vias?
Pompam alii ſterilem, frondeſque ſequantur inanes;
Grandia tu plenâ collige poma manu.
Malo ſuburbanas, quibus adſitus hortulus, ædes,
Et bene præculti jugera pauca ſoli.
Huc bis ſecedens autumno, & vere per annum,
Sumptibus urbanis abſtinuiſſe potes.
O valeant volucres, quas dives Jonia paſcit,
Tuque peregrinis capta lagois aquis,
Vinaque tentatura pedes, diffuſaque prælis,
Sive Falerne tuis, ſive Calene tuis.
Cœnula divitiis inſterni ruris inemptis
Hic poterit, rivum propter euntis aquæ.
Villicus abducet vicina e turre palumbes,
Sufficiet pingues Villica chortis aves.
Ipſa tibi ramis curvata virentibus arbor,
Offeret ancipiti poma legenda manu.
Mellaque non deerunt, menſis ſervata ſecundis,
Atque virens ſemper ſuggeret hortus olus.
Hæ ſapiunt cœnæ, ſtomachus quas ferre libenter
Poſſit, nec crudus damnet in ore color.
Hic quædam genio, quædam quoque tempora rebus
Ipſe tuis, ſtrepera liber ab urbe dato.
Commentare (36) frequens, num quid diſtendere censũ
Poſſit, & impenſis unde levanda domus.

Conſule,

Confule, pro rebus num præftet tradere nummos,
An res pro nummis tradere forte juvet.
Annua num reditus vincant difpendia: vincunt?
Effice plus redeat, quam tibi cedat opum.
Adfint & pauci, non magna mole, libelli,
Qui certi tibi fint ad nova lucra duces.
Sedulus hic veterum proverbia difce Sophorum,
Salfaque parcorum collige dicta fenum.
Multa fuburbanum (37) rus affert commoda; felix,
Cui rus non patria diftat ab urbe procul!
Tædia te fubeunt urbis, fecedis apricum
Rus, odium ruris cum fubit, ecce redis.
Non tamen hoc liceat, patrio fi rure morandum,
Quod minor urbanis fumptibus arca domi eft.
Hic ventofus eques, poftquam profudit in urbe,
Quas fibi præftiterat cenfus avitus opes,
Jam loquitur fylvas, faftidia fingit & urbis,
Saturni & laudat fecula prifca fenis.
Ille, quod abrumpunt fomnos, currufque, rotæque,
Clamofæque urbis compita, rura petit.
Tollite vana procul mendacia, luxus ab urbe
Vos abigit, luxus juffit abire procul.
Tunc quoque decedens cum rure, redibis in urbem,
Accipe, confilium quod fit in urbe meum.
Splendida nolo frequens ineas convivia, quamvis,
Qui tibi condicant, unus, & alter erit.
Quid, fi lauta foris fumis dum fercula, frugi
Pofthac defipiat menfa parata domi?
Nec loca tranfieris peregrinâ merce referta,
Vendit ubi nugas ars operofa fuas.
Te licet invito, novitatis imagine captam
In loculos furtim fenferis ire manum.

Non

Non hæc magna quidem diſpendia; parva fatemur,
  Parva tamen, numero progrediente, nocent.
Denique (38) te recto, cave, tramite tranſvehat uſus;
  Acceſſit noſtris hæc quoque ſumma malis.
Nempe peregrinis nimium dum moribus hæres,
  Immemor antiqui nominis Italia,
Ecce catenato geſtas ſervilia collo
  Vincula, proh! famulæ more reſecta comam.
Nam quot Hyperboreis veſtes mittuntur ab oris,
  Quam varios cultus Parrhaſis urſa docet!
Avolat interea noſtris a finibus aurum,
  Res proavùm & longo parta labore perit.
Summa mali minor iſta tamen: gens æmula partas
  In caput heu! noſtrum vertit, & armat opes.
Hinc & centena diverberat arbore fluctus,
  Et quatit armatis claſſibus Oceanum.
Nunc pacem, nunc arma probat, velut unica rerum
  Arbitra: nos Itali nominis umbra ſumus.
Sed me quo tandem ſacer abſtulit impetus! Ohe,
  In gyrum redeas, devia Muſa, tuum.
Non ego, ſi patriam multa intulit uſus in urbem,
  Unum te contra brachia ferre volo.
Nec minus, ut veterum veſtes indutus avorum,
  Fabula ſis pueris, virginibuſque jocus.
Sed, qua parte potes, deflecte pudenter ab uſu;
  Corrige peccantem, qua quoque parte potes.
Stantibus incedunt alii ſi veſtibus auro,
  Sat fuerit, ſi te veſtis honeſta tegat.
His domus ornatur regali ſplendida luxu,
  Non luxu dives ſit tibi, culta tamen.
Sed quid (39) parta foris dominũ juvat ampla ſupellex,
  Si minus hanc ſervet ſedula cura domi.

Tum,

Tum, cum lauta domus, cum vir quoq; dives in illa est,
Prodiga quam multas dissipat uxor opes!
Nutibus hanc moderare tuis; tum plura volenti,
Sæpe neges etiam, si qua daturus eras.
Nec tam lucra illi, toto quæ feceris anno,
Quam quot pertuleris, quantaque damna, refer.
Vinea cum lætis jam jam pubesceret uvis,
Icta procellosæ grandinis imbre fuit.
Illa domus cecidit, male fulta est altera: nequam,
Qui mihi debebat multa, colonus abit.
Quosque aliis debes, semper profitebere nummos,
At quorum fueris creditor ipse, tace.
Nec grave sit natos, primæ post fercula mensæ,
Interdum dictis admonuisse tuos.
Non mihi, quæ vobis sternuntur prandia, struxit,
Cum meus exiguo viveret ære pater.
Atra Ceres olim, lapidosaque furfure denso,
Quæ nunc selecto est polline tota, fuit.
Vina bibi quoties vili deprompta dyota;
Vos bibitis, misit lene quod Alba merum.
Tempore tum capto, quæ longus suggerit usus,
Præcipe, remque tuam dissimulanter age.
Sæpe tamen vitio (40) natorum parta supellex,
Parcus & aggessit quod pater ante, perit.
Divitias non ferre licet post funera tecum,
Esto; sed has moriens rite locare potes.
Scribere sæpe voles; sed territus omine mortis
Desistes; cæptum dextera rumpet opus.
Cras melius fiet; nondum mea tempora canis
Splendent; nunc valido in corpore robur inest.
Hæc alii dixere prius; mors risit, & auris
Credula vota nimis dilaceranda dedit.

Intesta-

Inteſtatus abis; quot poſt tua funera lites
Inſurgent, avido pabula grata foro!
Annorumque labor, cumulataque tempore longo
Diffluet in dominos res abitura novos.
Omnia diripient famuli; qui funus, amicus
Nullus in atrata veſte ſequatur, erit.
Uxor & indignans, cur nullum pignus amoris,
Dure vir, uxori linquis, amate diu?
Ergo age, ſcribe celer; ne mens hic fluctuet anceps,
Accipe, quo tibi res ſit peragenda modo.
Pars ſua Cœlicolis detur, ſua detur egenis,
Detur & inferiis, funeribuſque ſua.
Mox, ut charus erit, vel ſanguinis ordine junctus,
Per certos tabulis inſere quemque gradus.
Immemor uxoris, cave ſis; tum pignore certo
Fac deſiderium leniat illa viri.
Sunt quoque, quæ leges munuſcula gratus amicis,
Ut memores habeas tempus in omne tui.
Extrema famuli tabularum in parte reſidant,
Qui dominum officiis demeruere diu.
Hæredisque loco quem primum ſcribere debes,
Ne patrias grandi fœnore perdat opes,
Corrige dum tempus, monitiſque ſalubribus urge:
Proficies monitis ſi nihil, adde metum.
Denique ſi perſtet, cum, quæ lex præcipit, illi
Tradideris, partis te patre pelle bonis.
Hæc quoque ſi trades, vinclis onerabis, & illis
Ni ſtet, in alterius ſcribe caduca caput.
Principis, & legum numen teſtare verendum;
Hei mihi! ſic etiam non bene tutus eris.
Nunc mihi vobiſcum (41) res eſt, gens ſubdola, ſervi,
Vos eritis curæ meta ſuprema meæ.

Peſſima

Pessima gens, dominis male fida, domesticus hostis,
Ad facinus, famuli, quodlibet apta manus.
Quot tibi perjuros offert comœdia servos!
Cum mores hominum scena magistra refert.
Expugnare velit si duri filius arcam
Patris, in hoc servum, qui sibi præsit, habet.
Si turbis miscenda domus, sese ingerit audax
Servulus, & turbas doctus in arte serit.
Quid loquor ancillas, quarum est petulantia princeps
Dos, & inexpleta garrulitate valent?
Ah! male tunc, commissa viro cum litigat uxor,
Telaque ab ancilla clam jacienda petit,
Pervolat illa domum; portat, recipitque tabellas;
Mordet &, uxoris freta favore, virum.
Sunt tamen & frugi, fidissima pectora, servi,
Suntque malos inter, commoda turba, boni.
Utere delectu; (42) mores spectabis, & annos,
Muneribusque manus sit quibus apta magis.
Nolo, senex nimium tremula tibi fronte ministret,
Nolo, nimis compto serviat ore puer.
Effuge vinosos; post ebria vina licenter
Hausta, suum famulus vix bene noscit herum.
Nec tibi, qui vasto confidunt corpore, malis,
Aut quorum attrito nullus in ore pudor.
Elige, quos matura viros jam fecerit ætas,
Et quibus ad vires corporis usus adest.
Elige moratos, proba sit quibus uxor, honeste
Totaque gens vivat, si quibus uxor adest.
Elige veraces; tamen hoc cui contigit unquam?
Elige mendaces, quam potes, ergo minus.
Non ego dissidiis jubeo committere servos;
Dispereant, si quos jurgia rauca juvant.

Vidi

Vidi ego, nec vidit; loculos ſcrutatus heriles,
Neſcio quid tacito condidit ille ſinu.
Vidi ego, nec vidit; domini malus abſtulit enſem
Alter, in arcano depoſuitque loco.
Dædalus ingenio (43) celeberrimus, extudit olim
Arma, vel ad nutus obſequioſa ſuos:
Diceret hic ſcalpro, marmor mihi cædito; ſcalpri,
Sicut erat juſſus, munus obibat apex.
Diceret hic ſerræ, mihi fagina menſa ſecetur;
Serraque præſcriptum conficiebat opus.
Quid juvat inſtructis nos uti mente miniſtris,
Ad ſua ſi torpet munia lenta manus?
Dixeris huic, ſpeculum, puer o, mihi protinus affer,
Pro ſpeculo, matulam porriget ille tibi.
Dixeris huic, Bacchi, puer o, mihi protinus affer
Pocula, pro Bacchi, pocula præbet aquæ.
Quos tamen haud ſegnes ex agmine legeris omni,
In ſua pro (44) merito munera quemque voca.
Hic erit a cyathis, præſit conclavibus alter,
Ille ſui fidus nuncia portet heri.
Alter emat quodcunque ſuos domus optat ad uſus,
Huic jus in cryptas eſto, brevemque penum.
Non tot humi vites, cum decidit horrida grando,
Aut Borea frondes decutiente cadunt,
Quot cyathos, lances, mappas, cochlearia perdit,
Cum fatuo famulus ſervit ineptus hero!
Hæc ſi damna cupis prævertere, pervigil inſta,
Quiſque miniſterii ſervet ut arma ſui.
Fregerit? abſtineat vino; dimenſaque iniquâ
Fercula plus ſolito conditione ferat.
Hoc melius, loris quam cædere terga cruentis,
Jacturam aut parvo cogere ut ære luant.

Si nil

Si nil proficies, famulum dimittere præſtat:
Non facis ad noſtram vir ſine mente domum.
Si ſit magna (45) domus, cuſtos quoque janitor adſit,
Ne rerum lateat quidquid agatur, herum.
Utile in hoc vitium, ſi ſit pinguedine tardus,
Ne foribus poſſit longius ire ſuis.
Hic tibi fac referat, num quid clam mittat amicæ
Filius, & ſero ventitet unde domum:
Num peregrina ferens uxori ancilla tabellas,
Occulat in tacito munera certa ſinu:
Nocte quid exportent famuli, dum penula totos
Impedit, & manibus tecta caniſtra gerunt.
Felix, pro foribus cui fidus janitor adſtat!
Hic domino magnas ſervat, & auget opes.
Nunc mihi (46) quæ placeat, dicatur & utilis ædes,
Ne noſtra quidquam deſit in arte, canam.
Non bona continuo domus eſt, quæ pulchra, cohærent
Iſta minus; contra, quæ bona, pulchra domus,
Non ſit laxa minus, quam poſtulet uſus, in illa
Carcere detentus ne videatur herus.
Non ſit laxa magis, quam poſtulat uſus, in illa
Ne nuſquam, vel vix inveniatur herus.
Secta bipartito ſe ſe conclavia pandant,
Pluribus apta viris, pluribus apta thoris.
In loca ſecedant maribus diſtincta puellæ,
Pars ſua detur hero, pars ſua detur heræ.
Libera civiles conclavia ſemper in uſus,
In promptu tibi ſint, hoſpitibuſque vacent.
Ne ſit ad ancillas famulis acceſſus, in ima
Hos loca detruſos, quam potes, abde procul.
Sit quoque ſana (47) domus, pateatq; ſalubribus auris,
Clauſa ſit ut medicis triſtibus illa magis.

Illa

Illa placet, gelidam quæ partim vergit ad Arcton,
Ut minus æstivi sentiat astra canis;
Et partim hyberno cum torpet frigore tellus,
Solis ab adversis tota calescat equis.
Nolo sit ulla penus, nisi si domus ampla requirit,
Pluribus instructam rebus habere penum.
Si sit parva domus, gula ne præsentibus escis
Instet edax semper, nolo sit ulla penus.
Exterior ne forte domus tibi janua fures
Admittat, geminis clavibus obde fores.
Serus eas cubitum, tum, cum jam tota quiescit;
Tranquillâ somni capta quiete domus.
Mox prior evigilans te mollibus eripe stratis,
Surgat ut exemplo cætera turba tuo.
Hæc si præstiteris, fies de paupere dives,
Et bene res olim parta, perennis erit.
Dicta domus satis est; Urbique adjecimus Aulam;
Musa triplex tandem nostra peregit opus.

F I N I S.

ADNOTATIONES
IN TRES SUPERIORES LIBROS
VITÆ OECONOMICÆ.



IN LIBRUM PRIMUM.

1 *Domus quid sit, ex Aristotele, quem maximè ducem sequor in toto hoc opere, facile conjicitur. Est, inquam, illa, plurium societas, non tam lege, quam naturâ instituta, convictus quotidiani causa. Cum enim procreatis liberis, ut eos alerent, atque instituerent, naturali quadam charitate homines adigerentur (id quod incommodius haberi potuisset, si nullius certi loci ambitu continerentur) domicilia sunt inventa, in quibus quotidie administrarentur ea, quæ opus essent ad vitam; quæ quidem primum natura inchoavit, ars deinde perfecit. Recte proinde, qui ejusdem domus essent, ad eundem focum degentes, Charondas; ex eadem vero penu victitantes, Cretensis Epimenides esse dixerunt. Polit. 1. c. 1.*

Huic Aristotelis doctrinæ subnecti potest Tullius 1. de Offic. nam cum sit hoc natura commune omnium animantium, ut habeant libidinem procreandi, prima societas est in ipso conjugio; proxima in liberis; deinde una domus, cui sunt omnia communia: id autem est principium urbis, & seminarium civitatis.

Vide Aristotelis Interpretes, quos hic sum sequutus; sic tamen, ut eorum sententias, non etiam verba exscerpserim; in Ethicis, Bernardum Felicianum; in Politicis,

Leonardum Aretinum; in Oeconomicis, partim hunc; partim Bernardinum Donatum Veronensem; sed præcipue primum. Hæc in ipso operis vestibulo præfari volui, Lector humanissime, nè tibi tenebræ essent inter legendum.

2 *Patris imperium in filios regium magis est, quam alterius generis. In aliis enim Reipublicæ formis, alternatim parent, & imperant; functi enim imperio magistratus insignia deponunt: at vero in familia Pater & solus, & semper imperat, quod regale magis est, quam politicum: præterea, quæ regiæ sunt notæ, tam Pater, quam Rex aliorum bono imperant, non suo, hic civium, alter filiorum. Rex dignitate præstat, cæterisque regiis virtutibus; iis, qui sibi subduntur in regno; Pater ætate, prudentia, ipsoque affectionis jure filiis antecellit. Uxor vero non tam regie gubernatur a viro suo, quam civiliter. Pol. 1. c. 8.*

3 *Regimen familiæ difficilius aliquando, quam regni; & cur? Certe, ut alios omittam, Octavianus Augustus, non tam bello, quam pace præstantior, orbe terrarum pacato, non satis pacata in familia vixit.*

4 *Placuit in hoc imitari Dantem Aligherium, qui Aristotelem appellat,* maestro di color, che sanno.

5 *Triplici tum rerum, tum personarum conjugatione tota constat familia. Prima est Maris & Feminæ.* Secunda *Patris & filiorum. Tertia Domini & possessionis: in qua servi numerantur: caput enim rerum utilium olim servus habebatur. (Oecon. 1. c. 5.) De quarum prima conjugatione agitur in primo libro, ubi de Conjugio: de secunda in 2. ubi de filiorum institutione: de tertia in 3. ubi de parandis, conservandisque divitiis; deque herili, non tam in servos, qui apud nos nusquam ferè sunt, quam eos, qui loco servorum famulantur imperio, quædam præcipiuntur. Pol. 1. c. 3.*

6 *Uxor*

6 *Uxor eligi debet, quantum fieri potest, optima: (Oecon. 2. c. 2.) Qui delectus quam sit difficilis, primævi hominis cum primæva uxore conjunctio docet; ex qua tot mala in in hominum genus profluxerunt.*

7 *Conturbatur hic delectus ex multis causis; sed in primis, quod temere fiat, & inconsulto; quod certe non potuit accidere sanctissimo illi Jacob, Isaach Patriarchæ filio, qui post quatuordecim annorum servitutem Racheli nupsit, sibi pridem perspectæ, & cognitæ.*

8 *Quod autem necessarium sit, nedum utile, ut futuro viro desponsæ sibi uxoris mores perspecti sint, vel patet ex eo, (Oecon. 1. c. 3.) quod in conjugio non sola quæritur filiorum procreatio, cujus impetu, appetituque etiam feræ ducuntur; sed præterea mutua vitæ auxilia requiruntur bene multa, tum ad domesticam consuetudinem rite, casteque servandam, tum ad prolem sanctissimis legibus educandam. Cujus quidem rei adumbrata quædam similitudo est in animantibus quibusdam, in quibus, quò perfectiora sunt, hujus mutuæ dilectionis, & consuetudinis quædam vestigia existunt; ac præsertim in cicuribus, ac domesticis, ut sunt columbæ.*

9 *Alter malorum fons est, quod in ducenda uxore, non tam uxor spectari soleat, quam quæ sunt uxoris; dos nimirum, pulchritudo, nobilitas. Pauci ad virtutem, ac vera animi bona respiciunt.*

10 *Sumptu etiam minori, quam leges permittunt, uxor ornetur. (Oecon. 2. c. 1.) Quam igitur ineptiunt illæ, quæ dotem suam secum circumferunt, scenico ubique apparatu prodeuntes! Traprobane, nostris* Travancorre, *piscatu gemmarum insignis.*

11 *Turpe olim etiam apud Romanos habebatur, colorem nationum proprium mentiri. Id exprobrat suæ puellæ Propertius, cum dicit:* *Tur-*

Turpis Romano Belgicus ore color.

12 *Pulchritudo ubi virtute destituta sit, miras de se fabulas præbet,*

Semper formosis fabula pœna fuit. Prop.

Non tam igitur formæ, quam animi ornatu, studeat uxor viro suo placere. Ille fluxus est, atque evanidus; hic firmior, & ad senectutem usque perdurans. Oecon. 2. c. 1.

13 *Incommoda etiam est viro præsertim ignobili, atque obscuro, excellens uxoris nobilitas.* Mart.

Si vis nubere, nube pari;

cui respondet ex altera parte Juvenalis satyra 6.

Malo Venusinam; quam te Cornelia mater
Gracchorum; si cum magnis virtutibus affers
Grande supercilium; & numeras in dote triumphos.

Modestæ igitur uxori, & virtute præditæ nubendum est.

14 *Qua ætate nubendum sit. Si placet in hac etiam re Aristoteli subscribere; vir trigesimum septimum ætatis annum agens, puellæ nubat decimum octavum annum circiter agenti. Hac enim ratione consultum erit, tum filiorum procreationi, qui ex robustis ac firmis parentibus, robusti ac valentes nascentur; cum infirmi plerumque sint, & imbecilles tam seniles, quam juveniles partus; matresque ipsæ non crebrius puellas, quam mares parituræ essent; nec tam sæpe in ipso puerperio morituræ; quod oraculo proditum Træzeniis fuit; si quidem hanc labem studerent avertere, nuptiarum tempestivitate uterentur; tum etiam filiorum institutioni hac eadem ratione provisum erit; qui parentibus orti adolescentioribus, minus illis reverentiæ exhibituri essent, utpote quasi æqualibus. Accedit huc etiam, quod, cum hæreditatem serius se adituros, quam vellent, viderent, minus se in officio contineri paterentur; eaque etiam ætate procreati ipsi a parentibus suis essent,*

ut

ut nec commode ab illis ali possent, nec iis natu grandioribus vicem reddere. (*Pol.* 7. *c.* 16.) *Quod si respectus habendus sit, tum ad vitæ tempus, quod fortasse nunc brevius est, quam olim fuerit Aristotelis temporibus; tum multo etiam magis ad nostrorum hominum mores, magnam partem fractos, atque effœminatos; dici videtur posse; si nunc matrimonia, ut plurimum inirentur, viro trigesimum ætatis annum agente, puella decimum octavum, nullam iacturam sequi eorum commodorum, quæ ex serioribus aliquanto nuptiis percipi soleant.*

15 *Non satis esse uxorem probam, ac bene moratam fuisse delectam, nisi servetur bona, ac melior in dies efficiatur. Huc spectat illud* Hesiodi, *puellam virginem, nec alienis moribus imbutam esse ducendam; ut eam quasi novellam ceram, vir suis moribus possit expingere. Morum enim dissimilitudo non valde ad conciliandos animos facit.* Oecon. 1. *c.* 4.

16 *Statuat uxor non tam suis, quam viri sui moribus sibi esse vivendum; quod non ita absolute intelligendum est, ut etiam turpia imperanti obsequatur.* Oecon. 2. *c.* 1.

17 *In levioribus uxoris noxis esse connivendum. Non ita, ubi graviora quædam peccantur, &, cum insignem familiæ notam, tum domesticæ quieti labem, nisi mature occurratur, allatura. Metus tamen, qui servorum est proprius, absit, ne abalienato animo sint.* Oecon. 1. *c.* 2.

18 *Nihil fictum tam in moribus, quam in ornatu corporis uxor habere debet. Fucus in facie, argumento est, suum ab moribus fucum non abesse.* (*Oecon.* 1. *c.* 4.) *Vide Bernardinum Donatum Veronensem.*

19 *Ne quemquam injussu viri in superiores ædes sinat accedere, ne ansa detur vicinorum rumusculis, qui de mulierum corruptela circumferri solent.* Oecon, 2. *c.* 1.

20 *Ma-*

20 *Masculus natura præstantior, quam femina. Ordo rerum petit, ut excellentioribus naturis, inferiores subjectæ sint, & pareant; & quidquid deterius est, gratia melioris sit.* Pol. 1. c. 3.

21 *Vir foris strenuus, ineptus domi: mulier domi melior, quam foris; alter ad res parandas utilis, segnis ad conservandas. Altera, non tam quærendis rebus apta, quam modice, timideque administrandis. Viro fortitudinem; mulieri imbecillitatem attributam videmus; quo fit, ut alter vagari; altera domi latere sponte possit. Sic, diversis viis, ad domesticam societatem ineundam aptum utrumque fecit natura.* Oecon. 1. c. 3.

22 *Cura domesticarum rerum viro indecora. Domesticis proinde rebus præsit uxor; in cæteris pareat viro suo.* Oecon. 2. c. 1.

23 *Domina sit impensarum ad festos dies exercendos.* (*ibid.*)

24 *Si vir tamen ita hebeti ingenio sit, ut infra femineam conditionem amandetur; feminæ contra tanta ingenii vis sit, & præstantia, ut suo sexu longe major esse videatur; tunc, si superior jacta doctrina vera sit, familiæ regimen penes uxorem magis esse debet, quam virum ipsum, ne rei familiaris a stulto viro administratæ jactura subeatur.*

Per hanc occasionem, prudentissimarum quarundam feminarum, de quibus perhonorifica mentio fit in sacris Literis, nomina, virtutesque recensentur; ut Judith, Rebeccæ, Jaelis: nec prætermittenda est hoc loco Michol, cujus astu David ex Saulis insidiis incolumis evasit. Reg. 1. c. 19.

25 *Quædam hic proponuntur, quæ ex Aristotelis præscripto, nefas sit mulierem attingere: ut filias, cui velit, nuptui tradere; nurus quas velit, in domum introducere; & quædam gravioris momenti expedire negotia; quæ quidem in parte, ad deliberandum uxor, non ad imperandum admissa,*

missa, sententiæ viri ne anteponat suam. Ad summam, contenta sit rerum domesticarum imperio; eorum autem, quæ foris peragenda sunt, non admodum curiosam se præbeat. Quare, quæ a me hoc loci mulieri permittuntur, velim, cum hac exceptione intelligas; si nimirum tanta fatuitas in viro sit, ut res familiaris ab illo commode administrari non possit. Oecon. 2. c. 1.

26 *Multa esse conjugii commoda, si pax adsit, & concordia. In his primo loco enumeratur certus hæres familiæ; qui nexus, & copula quædam viva est, qua ad se amandum arctius devinciri solent parentes; qui, si desit, aut omnino desperetur, minus inter se amant, quasi disrupto amoris vinculo.* (*Eth.* 8. *c.* 12.) *Huc enim tendunt illorum vota, huc aspirant, ut eam perennitatem, quam intendit natura in reliquis rebus per hunc quasi orbem, vicissitudinemque nascendi, illi habeant in sua familia.* Oecon. 2. c. 2.

27 *Nihil non effici posse a duobus, qui se mutuo ament, & Plato, & Aristoteles senserunt. Hinc illud Homeri* 10. *Iliados*, ibant duo simul. *In conjugali vero amicitia hoc amplius est, quod usus, & consuetudo, qua maxime re illa firmatur, ita crebra, ac diuturna est, ut major esse non possit. Accedit præterea, quod, ut placet Aristoteli,* (*Eth.* 8. *c.* 12.) *homo, conjugale magis animal est, quam civile; quod prior, magisque necessaria familia sit, quam civitas; multoque antiquior illi sit appetitus propagandæ domus per liberos, quam usus, & communicatio cum civibus. Quare, nusquam in alio vitæ genere, majora expectanda sunt, præsertim in morbis, & ægrotationibus, tum obsequia, tum præsidia.*(*Oecon.* 2. *c.* 1.) *Hæc non eo diximus, quasi nescii simus, virginitatẽ multis partibus matrimonio præstare; sed quia nunc de hoc agimus, non de illa.*

28 *Hæc autem bona interire universa, si, quæ præsentissimum familiarum venenum sunt, locus pateat querelis, & discordiis; quæ bene præcidi videntur posse, si, quod ex sacris literis monentur, recta mente in Deum vitæ, mortisque auctorem utrique conjuges sint; in filiisque procreandis non intemperantius belluarum more abutantur; eosque non alio consilio, quam familiam supplendi, Rempublicam augendi, novosque sectatores adjungendi ad Orthodoxam Fidem amplificandam suscipiant; cujus rei contrarium, Asmodæi impurissimi Dæmonis, Raguelis domum hac, illac versantis, septemque prima nuptiarum nocte Saræ viros interficientis, furore mulctatum legimus fuisse; cujus non ante furiæ, impetusque resederunt, quam juniori Tobiæ illuc divinitus appulso puella Sara, sanctissimis prius legibus inter se initis, nuptui tradita est, ac justo matrimonii jure copulata.* Tob. c. 7. & 8.

29 *Abstinendum ab injuriis, cogitandumque sæpe, non servam de lapide emptam, in domum esse introductam, sed liberam, thorique sociam futuram, ex qua communes liberi suscipiendi sunt, invalidæ senectutis pastores, patris, matrisque custodes, totius denique domus servatores.* Oecon. 2. c. 2.

30 *Multo etiam magis abstinendum a verberationibus, fustigationibusque, quæ servorum olim erant propria; quibus cibus, opus, castigatio debebatur. Apud barbaros uxor habebatur pro serva; sed quia vir ipse ob ingenii stoliditatem, nihil differebat a servo, servi erat cum serva conjunctio.* (Pol. 1. c. 1.) *Mirum est quantum pupugerit illam Theodecti Helenam.* (Pol. 1. c. 4.) *quod serva sit appellata; cum apud eundem Auctorem sic questa sit* -- Ex Diis ab utraque stirpe prognatam quisquam appellabit servam? *Nostræ certe femellæ, nihil habent, per quod*

cum

cum hac tanta Helenæ nobilitate contendant; quæ si minus a Diis, ex illustri certe genere ortum ducebat. Sed tamen, cum sacri Fontis lavacro sint expiatæ, eandemque cœlestem hæreditatem aditura, quam nobiles feminæ; etiamsi e vulgo illæ sint, in honore tamen habendæ sunt apud viros suos, humaniterque tractandæ. Recte igitur Aristoteles, hujusmodi, inquit, subitæ animi commotiones, quibus correpti quidam in suas puellas, violentas manus iniiciunt, amasiorum sunt propriæ, non virorum. (Oecon. 2. c. 2.) Pleni sunt poetarum libri hujusmodi nugis. Tib. lib. 2. El. 5.

Ingeret hic potus juvenis maledicta puellæ,
Postmodo quæ votis irrita facta velit. Et alibi;
At lascivus amor rixæ mala verba ministrat,
Inter & iratum lentus utrumque sedet.

Propertius vero lib. 2. El. 6. sic suæ minatur:

Sed non effugies; mecum moriaris, oportet,
Hoc eodem telo stillet uterque cruor.
Quamvis ista mihi mors est inhonesta futura,
Mors inhonesta quidem, tu moriere tamen.

31 *Duplex amor, alter amicitiæ, benevolentiæque proprius, alter cupiditatis. Primus, qui in homines tantum cadit, non repentino impetu, quasi vento quodam circumfertur; sed ex certo mentis delectu proficiscitur; proindeque virilis ac constans est, officii plenus, ac verecundiæ. Alter, qui sensu totus ducitur, etiam ferarum proprius est; itaque inquietus, ac turbulentus est; puerilique more desipiens, fervidior multo est, quam constantior. Charitas igitur conjugalis virilis esse debet, constans, officii plena, ac verecundiæ. Duplex est ex Platone Venus, altera cœlestis, terrestris altera: ab hac impurus amor generatur, ab illa castus, & innocuus.*

32 *Amor conjugalis verecundia mixtus, ac pudore temperatus esse debet. Hunc laudat Homerus; in suisque orationibus, ita nobiles feminas inducit loquentes, ut eas appareat amare verecundè, ac cum pudore. Perlege orationem Helenæ ad Priamum, & Nausicaes ad Ulyssem, & hæc omnia constare intelliges. Agamemnonis autem oratio in conventu Græcorum habita pro Chryside retinenda, nihil habet ejusmodi; quod ab impotenti, effrenatoque animo profecta esset; in qua contendit, Chrysidem Clitemnestræ anteponendam esse, licet captivam, & barbaram. Oecon. 2. c. 3.*

33 *Honorem ac reverentiam non solum inter se vir, & uxor exhibeant; sed etiam cognatis, affinibus, amicis vir uxoris, uxor viri curent deferendam; non secus ac, si sui proprii parentes, fratres, amicique essent. Oecon. 2. c. 4.*

34 *Absentiam virorum suorum æquo animo ferre debent uxores; quæ, si brevis sit, & vel officii, vel necessitatis causa suscepta, ut in amicitia, redintegratur amor magis quam extinguitur; sic viri fastidium, & satietas impeditur; si vero admodum diuturna sit, ne penitus amor hebescat, & paullatim extinguatur, missitandis literis, crebrisque internunciis reficiendus est, atque renovandus. Ut enim consuetudine viget magis, atque augescit amicitia; sic taciturnitate dissolvitur. Eth. 8. c. 5.*

35 *Parmeno servulus in Eunuco Terentii, orationem Phædriæ, multa minantem amasiæ suæ per hæc verba*, sentiet qui vir siem, *sic intercipit*:

> *Hæc verba mehercule una falsa lacrimula,*
> *Quam, oculos terendo misere, vix vi expresserit,*
> *Restinguet: & te ultro accusabit, & ei dabis*
> *Ultro supplicium &c.*

36 Eo-

36 *Eorum mos improbatur, qui, quamvis in magistratu positi (Oecon. 2. c. 1.) quædam ad Rempublicam pertinentia uxorum suarum auribus non dubitant committere; quanto cum publicarum rerum incommodo, quis non videt? cum illarum pleræque garrulæ sint, ac loquaces; citiusque, ut dicebat Ennius, ardentem calculum ore contineant suo, quam commissum animo secretum ad breve tempus custodiant. Ut in hoc, sic in multis, gravissime Spartanos reprehendit Aristot. (Pol. 2. c. 7.) quorum institutis, etsi feminis in Senatum veniendi jus non erat; hoc parum, aut nihil intererat; cum illæ viris suis, qui publici consilii participes essent, domi imperarent. Vetus est illud, mulieri decus affert taciturnitas, secus autem viro. Pol. 1. c. 8.*

37 *Bene Pericles, eam maxime laudandam mulierem esse dicebat, cujus virtutes juxta, ac vitia foris nescirentur. Credo, quod eam domesticis septam parietibus assidue vellet esse, & raro extra limen pedem efferentem.*

38 *Cum desunt opes, quas arrogantiæ, & vanitatis nutriculas recte appellavit Euripides, cum calamitatum incursu tota labefactatur familia, morigeram se præbere viro suo, ejus jussibus hilari animo obsequentem, filiorum curam suscipientem, nec alium virum desiderantem, quam suum, magni animi est, consummatæque virtutis. Nam prosperitatis participes facile reperiuntur quamplurimi; paucissimi calamitatis. Oecon. 2. c. 1.*

39 *Sanctissimi Jobi uxor, usque eo petulantiæ processit, ut viro suo pietatem, tanquam rem nugatoriam auderet exprobrare: contra, ut refert Aristoteles, Alceste, Penelope, Evadne, insignium nunc feminarum sunt nomina, quia insigniter calamitosis viris nupserunt; & vim adversæ fortunæ æquo animo, impetumque sustinuerunt. Oecon. 2. c. 1.*

40 Cer-

40 *Certamen sit quoddam inter patrem, & matrem familias, præsertim in senectute, confectis jam vitæ conjugalis spatiis, uter plus boni in familiam contulerit. Filios bene educando, opes servando, totam domum sancte, benigneque administrando; atque in primis concorditer inter se vivendo; unde, qui hæc videant, lætentur amici; luctum capiant, & ægritudinem inimici; ipsosque maneat præmium illud, quod dulcissimum appellat Pindarus, conscientia rectè factorum.* Oecon. 2. c. 4.

41 *Mutuæ charitatis conjugalis exemplar, ut in profana vetustate, Vlysses censeri potest absolutissimum; qui, quam Penelopi suæ fidem juraverat, ad extremum usque vitæ tempus servavit; spretis etiam præclarissimis Dearum sibi nubere cupientium conditionibus; inter quas Calypsonem Atlantis Regis filiam, immortalitatem sibi pollicentem repudiavit, satius ducens, ut recte votat Aristoteles, mortalem, sed probum se esse, quam immortalem cum dedecore futurum.* Oecon. 2. c. 3.

42 *Ita animo sint affecti, ut stabilem fidem, & intemeratam societatem non modo servent inter se, sed nec ulla unquam violatæ fidei occurrat suspicio.* Oecon. 2. c. 2.

43 *Conjugatorum hominum vitam, non suo vitio, sed eorum qui illam exerceant culpa, multis ærumnis patere; cujus rei causa utriusque conjugis imprudentia solet esse; ad quam proinde fatuitatem emendandam, particulas ejus salis, in quem uxor Lot fuit conversa, parvis pyxidibus inclusas, uxoribus virisque ostiatim deferendas, musis suis alatum Pegasum ascensuris Auctor attribuit; iisque diserte præcipit, non ante id munus viris, uxoribusque dandum, quam, quæ vis hujus salis sit, accurate doceantur, totusque liber primus concluditur.*

ADNO-

ADNOTATIONES
IN LIBRUM SECUNDUM
VITÆ OECONOMICÆ.

1 *SEcundus Oeconomicæ vitæ liber agit de filiorum institutione usque ad pubertatem; cujus primum septennium matri; alterum patri assignatur. Hujus rei tractationem libenter sum amplexus, quod nostræ familiæ Parens, ac Fundator S. Ignatius de Lojola hanc provinciam pueros optimis moribus, ac disciplinis imbuendi voluerit apud suos esse præcipuam. Quare optimo jure hic liber præ aliis duobus, Sanctissimo Parenti sacer inscribitur.*

2 *Primæ hujus libri præceptiones ad matres diriguntur. Matris siquidem est, recens natos puerulos enutrire, patris autem munus erudire. (Oecon 1. c. 3.) Prima igitur pueri educatio a matre tota pendet; quæ a corpore inchoanda est, ut imitetur naturam, quæ corporis primum rationem habet, deinde appetitus, postremum mentis; quæ, ubi cætera perfecta sunt, tandem adolescit. Pol. 1. c. 15.*

3 *Primum hominis nutrimentum est lac. Pol. 7. c. 17.*

4 *Sunt, qui filiorum amorem, ac reverentiam imminui putent erga matres illas, quæ a munere suos lactandi pueros se subducant. Certe naturæ ipsi injuriæ sunt; quæ genitis quibusque rebus, congruum statim illis alimentum suppeditat. Sic stirpes, & herbas, quas Terra gignit, alit quoque, & ad debitam maturitatem gradatim perducit. Sic in cæteris animantibus videmus, ut, antequam fœtus cibum sibi parare possit, aut materno lacte nutritur, aut ovorum membranis circumseptus, tantum illinc*

illinc exprimit humoris, ut commode ali possit. (Pol. 1. c. 5.) Tantam ne naturæ solertiam, ut recens natis fœtibus congruens suppetat annona, nostræ matres eludent?

Magnam certe uberum esse vim, in Veturia Coriolani matre, si qua unquam in alia, deprehensum est; quorum admonitu, quæ non prius supplicis Senatus oratione, non civium Romanorum atrata sibi in veste obviam prodeuntium luctu, ira resederat, extincta est.

Agrippinam contra Neronis jussu legimus interemptam fuisse, fortasse, quod ad cæteras caussas (nihil hic præter auditum habeo) non materno lacte fuerat enutritus, sed aliunde accersito, ex pessima nutrice, & vinolenta.

5 *Moysis in profluentem Nilum expositi, ejusque a filia Pharaonis adoptati, sacra meminit Historia.* Exod. c. 2.

6 *Cum tamen multa incidere possint tempora, in quibus opus sit nutricibus; optimæ primo loco legendæ sunt; quæque matribus ab Aristotele ibi præcipiuntur, illis accommodari possunt. Ne distortis membris pueri nascantur, curent; id quod apta membrorum colligatione, idest nec nimium pressa, nec nimium soluta, consequentur. Pueriles morbos sanent; ne sint ebrietati deditæ; ne pigrescant; ne subtili nimis alimonia utantur; denique tranquillitati animi studeant, ne turbatum lac ex turbato corpore, quod animi vi cietur, profluat. Unaquæque enim res, ab eo, in quo continetur, diversimode affici solet.* Pol. 7. c. 16. & *alibi.*

7 *Qualem placeat esse puerorum educationem, quæ profecto, nec severa nimis esse debet, nec mollis, ac luxu diffluens. Habuerint sibi proinde Spartiatarum matres efferatam illam pueros vix natos in Eurotam amnem immergendi consuetudinem, aut panem ex arbore pendentem illis commonstrandi, ut jaculo ferirent, si saperet; aut ituris in*

bellum,

bellum, cum clypeum sinistro brachio insererent, admonendi in hac verba, nate, aut in hoc, aut cum hoc. *Quorum tamen licet tam severis institutis administraretur Respublica, brevi duravit. Cujus rei causam hanc docet fuisse Aristoteles (Pol. 7. c. 14.) quod in propagando magis armis imperio, quam in pace optimis legibus firmanda, toti essent. Falli vero eos latissime, qui putent, truculentiam morum, indolemque agrestem, ac duram, magis in bello valere, quam commodum ingenium, praeclarisque pacis artibus perpolitum. Neque enim, latrunculorum more pugnandum est; quorum ubi primus resedit impetus, terga vertunt; sed leo potius imitandus, quem ferarum pugnacissimum, eundemque mansuetissimum ajunt esse, quique non sua sponte pugnet, sed lacessitus. Spartanorum vero, si quae fuerunt olim victoriae, non tam eorum institutis referendae sunt, quam temporibus; cum aliae gentes per id tempus totae in ordinanda pace occupatae essent, bellumque negligerent: itaque fiebat, ut exercitati contra inexercitatos, usu armorum periti contra imperitos pugnarent. (Pol. 8. c. 4.) Testis est Graecia, quae simul atque ad artes pacis bellicas adjunxit, latissimum tenuit imperium; Spartanorumque opes funditus conciderunt.*

8 *Illud igitur provideant matres, ut puerorum corpuscula, ad pacis artes potius, quam bellicas accommodentur: hae enim aliquando, illae semper profuturae sunt Civitati; cujus finis est otium & pax, non bellum & tumultus. Tum vero, quia longe difficilius est, & plurium virtutum opus bonum civem informare, quam militem; cum virtutes ipsae bellicae, ex ipso laborioso vitae genere, quod belli proprium est, occurrant quodammodo, ac se offerant; bellumque ipsum, ut placet Aristoteli, cogat homines esse justos, ac temperatos per se; cùm contra pax, quo tutior, eo dissolu-*

solutior sit. Itaque tam belli, quam pacis tempore Justitia, ac Temperantia necessariæ sunt civitati; sed ad hæc, pacis tempore, otii fruendi causa, Philosophiæ studiis cives vacare debent, cæterisque disciplinis, quæ togæ sociæ sunt, atque administræ. Pol. 7. c. 14. & 5.

9 *Breves excursiunculas pueris permittendas, ne segnescant. Frigori præsertim assuescant. Vestibus nec admodum longis, nec crasso villo contextis utantur. Pol. 7. c. 17. & alibi.*

10 *Architæ tabellam (erat hæc, ut placet nonnullis, crepitaculi genus) pueris dandam; ut illius sono, quo maxime ducitur illa ætas, se oblectent. In quo illud erat commodi, ne., cum per domum plus justo gestientes vagarentur, vasa murrhina, aut quidpiam aliquid simile in abacis expositum, humi allidérent. Pol. 8. c. 6.*

11 *Pueri præsertim ingenui a servulorum, ancillarumque congressibus removeantur; ne aliquid servile a prima ætate discant, aut spectent. (Pol. 7. c. 17.) Fit enim sæpe, ut eorum dum minus castis colloquiis intersunt, repetant secum ignari, quæ non perceperunt. Quod S. Aloysio olim puerulo, & inter milites versanti cum contigisset, quanto illum dolore correptum legimus fuisse! dolore ne tantum? quin asperrimis cruciatibus, eam labeculam, quæ labes non erat, in se vindicavit. S. Stanislaum Kostkam, ad impura convivarum colloquia, pene exanimatum humi concidisse, ejus vitæ Auctor refert.*

12 *Omnis picturarũ obscœnitas ex tota domo eliminanda est. (Pol. 7. c. 17.) Nec alio certo consilio præcipiebatur olim pueris, ne ad certa quædam Deorum fana itarent; nisi, ne pictas ibi, aut sculptas Deorum libidines, dum intuerentur, eorum mores depravari contingeret. Atque ex picturis ipsis, non licentiores, ut erant Polygnoti, sed verecundiores, ut erant Pasonis propriæ, maxime probat Aristoteles (Pol.*

(Pol. 8. c. 5.) Tragœdiis, mimis, spectaculis non intersint. Pol. 7. c. 17.

13 *In puerilibus ludis quædam cautiones adhibendæ. Ut sint ingenui: ne sint laboriosi nimis; ne ex labore vehementer suscepto, crescere impediantur pueri. Pol. 7. c. 17.*

14 *Ludis non nisi usitatis utantur: quorum in novitate multum periculi subesse, docet Plato in sua Republica.*

15 *Demum ut sint rerum olim in vita serio agendarum rudimenta quædam. In fabulis & narratiunculis curandum est, ut tota conficta sint ad formandos mores. Pol. 7. c. 17.*

16 *Absoluto primo septennio matris educationi patris succedere debet disciplina. Ea opportunissima erit, si sub parentum suorum magisterio pueri recte dolere, recte lætari didicerint; id quod compendiariā ad virtutem viam esse dicebat Plato; cum omnes fere virtutes in moderandis tum doloribus, tum voluptatibus sitæ sint. (Eth. 2. c. 3.) In quo illud incommodi est, quod prius aliquanto, quam domicilium comparatum rationi sit, (tardius enim hæc, quam appetitus adolescit) voluptas rerum potitur; certamenque eo difficilius rationi sit futurum, quod, cum valente, ac sensuum domina, quos prius ad suas partes pellexerat, pugnandum sit. Quo in certamine boni, ac multum in posterum providentis patris est, periclitantibus in eo primo ætatis flexu pueris, sui maturitatem consilii accommodare; ut, si minus proprio, alterius saltem judicio freti, cum blandissima domina pugnent inter se, atque contendant.*

17 *Somno, joco, potu, cibis, non aliter utendum, quam medicina quadam. Sunt, qui voluptatem, vel instar salis capiendam dicant esse; vel ut condimentum quoddam. Ex quibus intelligitur, perparce, ac moderate voluptatem, non pleno, ut dicitur, ore, hauriendam esse. Si vero se-*

cus contingat; voluptas liberalius percepta, quam decebat, contrario dolore castiganda est. Pœna enim, quam dolor comitatur, medicamentum quoddam est peccatorum eorum, quæ a voluptate plerunque proficiscuntur; curationes vero recte fieri per res contrarias dicuntur. (Eth.2. c. 3.) Has in pueris serviles quandoque esse oporteret, & viles; maxime tum, cum vel ad turpes voluptates stolidissimi jumenti instar adhinniunt, (Eth. 10. c. ult.) vel cum verborum obscœnitate abutuntur; cum modico plerunque intervallo distent inter se, turpiter loqui, & turpiter facere. Pol. 7. c. 17.

18 *Servum, dixerit quispiam, instituis, non filium; tyrannum, non parentem amantissimum. Minime vero: quique poculum illud voluptatis diximus modico felle circumliniendum, ne totum biberetur a puero, iidem nunc præcipimus, subtriste illud alterum, ac subamarum virtutis poculum, ne ab eodem respuatur, affuso melle temperandum, quod præmiolis fiet, ac xeniis, ad illam ætatulam quibusdam tanquam invitamentis ad virtutis amorem excitandam opportunis. Præmio enim & pœna, dolore ac voluptate, non solum amplissimæ Respublicæ, tanquam gubernaculo quodam continentur; sed etiam puerilis ætas maxime regitur, & eruditur. Eth. 10. c. 1.*

19 *Pueris nec cuncta neganda, nec omnia concedenda; severitatem indulgentia temperandam; in quorum utroque multum vitii solet esse, si altera prævalet alteri: quod in duobus adolescentibus, altero severius, quam par esset, altero mitius tractato, utroque autem pessimum vitæ genus amplexo, mirifice sub oculos ponit præstantissimus Comœdiarum Scriptor Terentius in Adelphis, unde illa desumit Cicero in Orat. pro Cœlio:* Fores effregit? restituentur: discidit vestem? resarcietur.

Heli

Heli summi Sacerdotis in reprehendendis filiis fatua quædam lentitudo, acerrimis in totam familiam suppliciis a Deo vindicata. Reg. 4.

20 *Puerorum erratis a prima ætate resistendum. In principio enim peccatur; principium autem fere est dimidium totius; itaque clam inserpit, atque ad reliquas partes funditur: (Pol. 5. c. 4.) ac deinde (c. 8.) maxime cavendum præcipit ab eo, quod paulatim repit; latet enim corruptio; nec tota simul sentitur: captiosumque putat, ut revera est, illud argumenti genus; si partes pusillæ, pusillum erit & totum. Itaque custodia, vigilantiaque ad hæc omnia utendum esse vult.*

21 *Multum esse in natura ad comparandam virtutem præsidii, quis ignorat? Sed nisi in illam, tanquam præcultum, ac bene subactum solum, optimam doctrinarum sementem, ex præstantissimorum Philosophorum libris haustam, ac petitam iniicias; virtutum illa quasi semina, quæ in animi nostri membranis pridem impressit, atque insculpsit natura, foras erumpere nequeunt, ac feliciter adolescere; quæ tandem ad debitam maturitatem perducuntur, ubi mos, & consuetudo, in qua sunt omnia, accesserit. (Pol. 7. c. 13. & 15.) Recte igitur Aristoteles tria omnino requiri docet ad virtutem, naturam, institutionem, consuetudinem.*

22 *In hoc Ars est inventa, ut per illam, ubi natura manca sit, & imperfecta, corrigatur. (Pol. 7. c. 17.) Vel facili igitur ingenio, vel duriusculo, & ad virtutis satus accipiendos minus opportuno præditus sit adolescens; utroque modo institui debet a suis parentibus; quamvis diversa quadam ratione, & via; si facili, fingendus magis est, quam cælandus; si duro; pluribus scalpri ictibus, laborioso cælaturæ genere conformandus. Certe, potior esse*

esse debet parentibus filiorum institutio, quam possessionum vel parandarum, vel colendarum cura. Disciplinaque domesticæ ratio, magis ad filios pertinere debet, quam ad eos omnes, qui in tota familia sunt. Pol. 1. c. 8.

23 *Reflectendos esse puerorum mores in contrariam partem, præsertim cum ad nimiã voluptatem incubuerint; quod fit in ramis distortis, ut rursum evadant recti.* (*Eth.*2.*c.*9.) *Abstinendi præterea sunt a lectitandis Poetarum fabulis. Sciria Phillis, vulgò*, La Filli di Sciro. Il Pastor fido. L'Aminta.

24 Nihil igitur illa vicinitas redolet? *sunt verba Tullii in Oratione pro Cælio. Suspectæ quandoque esse debent cordato patrifamilias vicinitates quædam mulierculárum, nihil æque, ac incautam juventutem, in suos laqueos inducere cupientium; vigilandum itaque est; puerique, ne languescant desidia, honesto labore sunt detinendi.*

25 *Bellissimum erit, si lusitantibus pueris, parentes ipsi adesse velint; vel qui loco parentum esse possunt, provectiores magistri. Cumque inter ludendum, multa insolenter, multa iracunde, superbe etiam, & contumaciter multa committi soleant, quæ partim contra justitiam, partim contra aliarum virtutum ornamenta sunt; ad eorum mores informandos, rectissimum, inquam, erit, si, qui talibus puerorum ludis intererunt magistri; eos partim monendo, partim objurgando, partim veram virtutis viam commonstrando; ut justas primo, ac temperatas actiones edant, incumbent; quas mox progressu ætatis, juste, ac temperate, hoc est ad veræ virtutis indolem, facturi sunt. Permultum enim interest, inter justa, ac juste facta; cum primum casu etiam, & ex alterius norma, regulaque præscripta fieri possit; illud vero alterum, quod ex certo mentis delectu fiat; quod mediocritatem circum-*

spi-

spiciendo fiat; totum virtutis est proprium; quæ, ubi se corroboravit, fructus edit tempestivos, maximeque uberes. Eth. 2. c. 4.

26 *Exemplo præire liberis suis parentes debent ad virtutem; atque inde est, quod impuberibus pueris nullæ a magistratibus positæ sint leges; quod viva quædam lex sit domi pater, cujus auctoritate blandius quædam extorquentur, & facilius, quam ipsa legum severitate. (Eth. 10. c. ult.) Quod si qua in re acute solent pueri videre, in notandis parentum vitiis hoc solet contingere, quæ, si etiam præterita fuerint, & multis virtutum ornamentis obtecta, incitamento sunt, non tam ad paternas virtutes æmulandas, quam vitia.*

27 *Accedit huc etiam, quod quædam vitia avita sunt in filiis, quasique cum sanguine ipso transfunduntur. In his ad iracundiam propensio quædam, aliosque affectus vehemens animi inductio numeratur ab Arist. (Eth. 7. c. 6.) Quod patris illius exemplo probat, qui, cum a filio vehementer irato per totam domum raptaretur, non admodum gravate tulit; donec ad altissimos totius domus gradus perventum est: quo in loco, jusso filio consistere, eum admonuit, ne ulterius progrederetur: hactenus se commeritum esse, quæ passus esset: se, idem ea ætate, qua filius tunc esset, in parentem suum fecisse, qui idem in avum suum fecerat, atque hic in abavum: hactenus proinde totius familiæ excusatione uti posset: si vero ultra limen domus patrem raptando pergeret, inexpiabili se scelere obstringeret; quia primus in familia id fecisset. Quis in hac tam lepida, & multi salis narratiuncula, tanquam in speculo, effictum non videt, multa parentum quasi vitia infelici quodam hæreditatis genere filiis obvenire? quæ, si qua solutioris vitæ exemplis, qua orationis vanitate, inflam-*

inflammentur magis, atque instigentur; quanto cum publicarum rerum incommodo id futurum erit? Jure igitur gravissimis suppliciis plectendi, quasique hostes Reipublicæ habendi sunt parentes illi, qui id faciunt; quique universam civitatem hac ratione disturbant; quæ profecto melioribus civibus uteretur, si melioribus filiis privatorum domus abundarent.

28 *Absoluta morum doctrina, ad liberales artes, quibus imbuendi sunt adolescentes, Auctor progreditur; docetque ex Tullio de Finibus, in hac tam difficili educandorum puerorum provincia imitandam esse naturam, cujus voce, ductuque parentes admonentur, ut ea, quæ ipsa prius in pueris inchoavit virtutum, disciplinarumque elementa, foras educere, atque in apertum proferre nitantur.*

In quatuor omnino rebus (Pol. 8. c. 3.) adolescentes institui vult Arist. in Musica, Gymnastica, Figurativa, Literis. Musicam peropportunam esse docet, ad eam in affectibus mediocritatem inducendam, quæ virtutis est propria. Tanta est enim vis in sonis, & cantibus, ut per eam affectus nostri nunc incitentur, si remissi sint; nunc contrahantur, si paullo latius, quam par est, ferantur. Per illam enim ex tristibus læti, ex remissis alacres, ex iratis ad mansuetudintm, lenitatemque deducimur. Illa supplices nos reddit; atque erga numen Deorum probe affectos; in extasim rapit, sacrum quendam furorem immittit: Olympi concentum imitatur; animos nostros cælestium rerum contemplatione defigit. Quod si cætera ejus addiscendæ deessent argumenta, non satis illud esse posset, quod liberalissimam animo remissionem suppeditaret, unde gravioribus curis impediti conquiesceremus, atque otium honeste inde transigi posset? Cum igitur in eodem tractandorum affectuum genere musica disciplina versetur, ac

virtus

virtus morum moderatrix, quid ni illam ad puerilis institutionem ætatis, tanquam huic subservientem advocare debemus? Præsertim, quod hæc subtristem illius in agendo, docendoque severitatem cantu mitiget, ac sonorum jucunditate: maximeque ea pueri delectantur; qui nihil sponte faciunt, nisi quod etiam jucunde fiat. Verum, ut hæc vocum ac sonorum moderatrix disciplina, talium sit bonorum effectrix, ingenua esse debet, ac morata; qualis erat olim Dorica, inter Phrygiam nimis concitatam, & Lydiam nimis remissam mixta, ac temperata; nec mirabilia consectans, qualis est Eunucorum propria, quæ distortis cupiditatibus audientium lenocinatur magis, quam medetur; qua de causa distortum quoddam, atque ab naturali sua sede divulsum musicæ genus, in theatra invectum suis temporibus queritur Aristoteles, nunc nimis molle, ac remissum, nunc nimiis bacchationibus concitatum. Altera cautio sit, ut graviori ætate appetente, cum ad Rempublicam accesserimus, musicæ non tam studiose vacemus; cum satis sit, non tam artis exercitationem profiteri, quam illius judicium sibi reservare.

Ad musica instrumenta quod attinet, illa removenda sunt, quæ, aut exquisita nimis manuum gesticulatione indigent, aut vehementi nimis oris inspiratione, ut sunt Litui, Tibiæ, aliaque id genus instrumenta; quod in primis, plus laboris insumitur, quam honesto cuidam otio satis esse possit; in alteris, genis plus justo intumescentibus ora deformantur; vultusque ipse ab naturali sua sede dimovetur. Neque ob unam hanc causam tantummodo, inventricem tibiarum Deam eas in profluentem amnem abjecisse Palladem ferunt; sed multo etiam magis, quod cum disciplinarum omnium Præses haberetur, minime fas esset, tam leviculo inflandarum tibiarum studio

eam incumbere; præsertim, cum vehemens illarum sonus mentem a gravioribus studiis impediret. Recte igitur ab Aristotele monemur, in hac tota vocum, ac sonorum disciplina duo in primis spectanda, quid possis, & quid deceat, Pol. 8. *c.* 5. 6. & 7.

29 *Gymnasticam olim nobiles adolescentes docebantur; quod robur, & fortitudo, quibus plurimus in bello locus esset, inde confirmari putaretur. Verumtamen plura in hoc vitia deprehenduntur; maximeque, quod immanis ille labor, hominum corpora efferaret magis, quam corroboraret; præterea, ne ad justum magnitudinis modum membra pervenirent, impedimento esset. Quare multo melius nunc apud nos, veteri illi sive Græcorum, sive Spartanorum Gymnasticæ, artes, quas vocant equestres, substitutæ sunt, equitandi, saltandi, hastam vibrandi, compactili equo insidendi; quæ, ut variæ sunt, nec unis corporis motibus exercentur, sic pluribus, diversisque inter se motibus, quæ virtus est maxima corporis, corpus ipsum assuefaciunt, expeditumque reddunt. Quare, tam pacis, quam belli tempore, multo esse possunt tum usui, tum ornamento. Pol.* 8. *c.* 4.

30 *Ars figurarum delineatrix nobili adolescenti plurimum etiam affert dignitatis; sive quod otium, qui in ea sunt occupati, honeste transigere possint, sive quod in emendo vendendoque, non ita facile decipiendi sint; tum quod corporum partes, dimensionem, pulchritudinem propius contemplari possunt. Pol.* 8. *c.* 3.

31 *Literæ, quia solum quoddam sunt, ac fundamentum cæterarum disciplinarum, & quia fructuosæ cultoribus suis vulgo putantur, addiscendæ sunt. Pol.* 8. *c.* 3.

Optandum præterea esset, ut optimis sub Pædagogis prima balbutientium puerorum ætas ad humanitatem informa-

formaretur; nihilque inde præjudicii, quod nulla postea ratione elui possit, puerilibus olim auribus illineretur; quod prima quæ sunt, ut combibuntur avidius, sic fortius comprehenduntur, ac tenacius hærent. Quod quidem tantum est, ut Theodorus quidam, nobilissimus cæteroqui Tragœdiarum actor, primus in scenam semper prodire vellet; quod diceret, præjudicatis alterius voce, licet minus suavi, auribus, suam non ita jucundam postea accidere: itaque quanta sit primarum, ac novarum rerum vis, satis aperte declaratur. Pol. 7. c. 17.

32 *Privatis in scholis, an magis in publicis juventutem erudiri præstet, lis cæteroqui multis controversiis implicata, auctore Arist. facile dirimitur, ex quo apertissime eruitur (Pol. 8. c. 1.) scholas publicas multis partibus, privatis antecellere: pluribus enim laudat Spartanorum institutum; qui publicis Gymnasiis, in quibus non solum instituerentur, sed alerentur quoque usque ad certam ætatem, pueros includerent. Quam fructuosa vero sit publicis rebus, publica hujusmodi puerorum institutio, & quantum hujusmodi rei neglectus detrimentum afferret, docet ex eo, quod unis moribus, unisque doctrinis, iisque, non ad omnem, sed ad ejus potissimum Politiæ rationem, qua civitas administratur, accommodatis cives imbuendi sint omnes; ne qua aut morum, aut doctrinarum peregrinitate civitas ipsa inficiatur.*

33 *Cum in publicis Gymnasiis juvenes erudiendos esse satis constet; illa præ cæteris eligenda sunt; ubi sanior doctrina, Catholicæque Religioni magis consentanea proponitur. Hic duo spectanda sunt, quibus tota disciplinarum absolutio continetur, mentis nimirum, ac linguæ conformatio, quorum alterum in veri cognitione, alterum in iis, quæ mente percepta sunt, ornate, politeque differendis consi-*

stit; quorum hoc eloquentiæ munus est, illud sapientiæ. Multum etiam profuturum est, si pueriles ad rem literariam impetus, propositis ei ætati congruentibus præmiolis, diligens pater excitet atque exacuat.

34 *Ne tamen nimium sibi oneris impositum præceptionibus nostris ii præsertim parentes querantur, qui partim domesticorum, partim publicorum munerum procuratione impediti, vix otium habent, ut sedulam liberorum institutioni operam navent; illi, si me audient, publicas nobilium juvenum convictiones, quæ bene multæ in Italia nostra sunt, eligant; in quibus alienæ curæ puerilis ætatis partim in literis, partim in moribus institutio demandata est. Cumque mihi Romanum Seminarium præ cæteris innotescat, idcirco brevem instituendæ juventutis formam propositurus, quæ ibi artes tradantur, quæ studia literarum exerceantur, paucis complector; instituto ad hæc, ut, quam uberes ex hac domo fructus in publicam utilitatem proveniant, palam fiat, Summorum Pontificum, Cardinalium, Antistitum, aliorumque insignium militaribus præfecturis virorum, qui ex hac domo, tanquam ex equo Trojano prodierunt, non minus vero, quam magnifico censu. Neque indictam mihi passus sum Tiburtinam rusticationem, in quam vertente anno per Octobrem animi causa nobiles juvenes secedunt; quo loco peramplam domum, virisque principibus parem a fundamenmentis excitari curavit P. Carolus Spinula Societatis Jesu, qui Seminarii Moderator non semel fuit; ac nunc œconomicis rationibus, dum hæc scribo, præfectus est, cujus viri opera, Seminarii Romani domus, ex humili & perangusta, ad eam amplitudinem perducta est, ut nihil illi eorum, quæ usui esse possunt, aut ornamento, deesse videatur.*

ADNO-

ADNOTATIONES

IN LIBRUM TERTIUM

VITÆ OECONOMICÆ.

1 Agitur in hoc tertio libro de parandis, conservandisque divitiis, deque herili non tam in servos, qui in usu apud nos nunc non sunt, quam eos, quos famulos appellamus, imperio.

2 Priscis illis, ac frugi temporibus, ut notat Hesiodus, tota domus constabat ex mare & femina, & bove aratore, vel etiam asello, qui in pauperum familiis vicem servi gerebat. Oecon. 1. c. 2.

3 Aurum vituperatur; quod origo sit, & fomes malorum omnium.

4 Ab objectis criminationibus aurum vindicatur; ostenditurque divitias absolute in bonis numerandas esse; ut quæ materiam præstant tot virtutibus, quæ sine illarum præsidio, non tam re exerceri possent, quam sterili tantum voto in animo consenescerent. Eth. 10. c. 8.

5 Quibusdam cautionibus via præmunitur dicendis toto hoc libro tertio. Prima sit, adhibendum esse modum in parandis divitiis, quæ instrumentum sunt quoddam ad alendam familiam necessarium. In instrumentis autem parandis in infinitum abire desipientis est. Pol. 1. c. 5.

6 Altera cautio sit, ne divitiæ in odia hominum incurrant, ut sunt fœneratorum propriæ, nec rubori sint suis possessoribus. Tull. 1. Offic.

7 Prima ditescendi via ex fructibus terræ. Opes ex agricultura collectæ sunt omnium honestissimæ: neque enim ab invitis aut recusantibus vi, aut injuria exprimuntur;

neque

neque rursus a volentibus, blando quodam, fucatoque verborum lenocinio, quod artes faciunt mercenariæ, comparantur; sed hæreditate quadam obveniunt nobis a terra, quæ est omnium parens, ac procreatrix. Omnis autem educatio est a matre, idest a terra. (Oecon. 1. c. 2.) *Omnium vero rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil est agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius.* Tull. 1. Offic.

Accedit huc etiam, quod cum illæ ex annuis rebus constent, & in orbem redeuntibus, stabiliores sunt, quam alia fortunæ bona. Oecon. 2. c. unico apud Bernardinum Donatum Veronensem.

8 *Oeconomus in multis peritus esse debet; præcipue quo locorum commodioris pretii, aut melioris notæ boves, equi, oves emendæ sunt. Agriculturæ partes, quæ variæ sunt pro natura soli, vel nudi, vel consiti perspectas habere debet. Earum denique rerum sibi notitiam comparet, unde utilitas sit proventura.* Pol. 1. c. 7.

9 *Ut ostendatur, quanta vis sit in optima terræ cultura ad pecuniam honesta ratione comparandam, Historia Cresini cujusdam in medium affertur. Accusatus hic veneficii, quod in modica licet, angustaque fortuna, plus ex agello suo fructuum, quam alii ex amplissimis latifundiis, perciperet, apud judicem se purgat, ostendendo callosas manus, rustica ferramenta apud illum explicando, uxorem filiamque adducendo bene torosas, ac diuturno labore detritas; crimenque ipsum in aliorum, qui se accusarent, inertiam confert.* Plinius Historiæ naturalis Scriptor. l. 18. c. 6.

10 *Interrogatus Cato senex,* (Tull. 2. Offic. in fine) *quid maxime in re familiari expediret? respondit, bene pascere: quid secundum? satis bene pascere: quid tertium? vestire: quid quartum? arare; & cum ille, qui quæsierat, dixis-*

dixisset; quid fœnerari? Tum Cato, quid hominem, inquit, occidere?

Ex his constat, omnem rem Oeconomicam a Catone tribus maxime rebus circumscriptam esse, atque definitam, arando, vestiendo, bene pascendo. De nudo solo, ac sativo dictum est supra; nunc dicendum de agro bene vestiendo; idest de vineis, pomariis, &c. Paulo post de pastura animalium, eorumque usibus, qui plurimi sunt, agendum erit; sic tamen, ut non immorandum nobis in iis sit, quod infinitum esset; sed ut capita ipsa augendæ rei familiaris ostendisse, fontesque, unde divitiæ profluunt, reserasse videamur. Non enim hic aut bubulcum, aut aratorem instituimus, sed diligentem patremfamilias, qui rerum ad suum munus pertinentium scientia sit ornatus.

11 *Bene pascendum. Hæ divitiæ, quæ in multitudine armentorum, pecorumque consistunt, & pervetustæ sunt, utpote quibus nitebantur olim opulentissimæ illæ Patriarcharum familiæ, & maxime veras appellat Aristoteles.* (*Pol.* 1. *c.* 5.) *Sunt enim ad hoc a natura institutæ, ut per illas homines alantur, sustenteturque familia. His enim constamus, his vestimur, his vivimus. Aliæ vero divitiæ, quæ nummo constant, & pecunia, a verarum opum appellatione desciscunt, quod vel in summa illarum abundantia, si lex cesset, & commutandi vis nummo abrogetur, fame quis perire posset; quod regi Mydæ accidisse fabulantur poetæ. Accedit etiam, quod in divitiis a natura institutis modus quidam est, & illarum satietas; ventri enim parantur, aliisque necessariis familiæ usibus, qui non sunt infiniti. At in pecunia, cui obediunt omnia, & fidejussor quidam in omnibus est, infiniti usus esse possunt: quare, quibus non tam bene vivendi studium est, quam cupiditas utcumque vivendi, infinitæ esse possunt coacer-*

coacervandarum pecuniarum voluntates, ac libidines. Atque hoc nimirum est, quod Solon dicebat, nullum divitiarum hominibus finem esse constitutum; cum non tam naturales, atque, ut ita dixerim, agrestes divitias intelligeret, quam pecuniæ constantes, & nummo Pol. 1. c. 5. 6.

12 *Nondum descriptis, constitutisque civitatibus, necessitas quærendi cibi primos homines in plures vitæ classes distraxit. Itaque alii venatoriam, alii piscatoriam vitam sequuti sunt. Hi sylvestribus terræ fructibus alebantur; hi sativis, atque arte mollitis. Qui delicatius vescerentur, ex venatione simul & piscatu, cæterisque terræ fructibus victitabant; omnium autem pigerrimi qui essent, pastoritiæ vitæ se dediderunt, quasi vivæ agriculturæ quoddam genus exercentes. Pigros appellat pastores Aristoteles, quia ipsis quodammodo otiosis, ex gregibus suis tanquam ex viva penu lac, caseus, carnes depromuntur, ac villis ovium confectis vestes, tentoria, lectique ipsi conficiuntur. (Pol. 1. c. 5.) Huc igitur diligens paterfamilias incumbat, ut plurimos habeat, & optimos ovium greges, ex quibus tantæ utilitates proventuræ sunt.*

13 *In bonis utilibus numerantur fructus, vel quasi fructus regionis proprii, qui varii sunt, & multiplices pro vario locorũ ingenio, & natura.* Non omnis fert omnia tellus. *Jam vero hæc etiam acquisitionis ratio a natura ipsa proficiscitur. Acquirit enim si minus a fructibus terræ ad alendos homines propositis; quæ multo nobilior œconomicæ rei pars est, & naturæ conjunctior; lucrum tamen facit a rebus ex terra ortis, & ad multos vitæ usus necessariis. Enumerantur in his sylvæ cæduæ, omnisque res metallica ab Aristot. Pol. 1. c. 7.*

14 *In magna præsertim, opulentaque familia constituendus est Oeconomus, reique agrariæ præficiendi sunt ministri*

vitæ,

vita, moribus spectatissimi. Paterfamilias vero rebus suis intersit; detque se nonnunquam itineri, ac via obeundi causa suos greges, sua pecora: difficile enim est alienæ rei vicarios esse attentos, si dominus ipse minime solicitus sit; vereque illud prolatum est, Omnes sibi malle melius, quam alteri. *Terent. in Andria Scena 5. Act. 2.*

15 *Meminerit denique tum illius præcepti ab Lacone quodam profecti, qui interrogatus, qua maxime re pinguesceret equus,* oculo domini, *inquit. Tum illius alterius Afri, ex quo cum quæreretur, quo utilius fimo stercorandus esset ager, respondit,* domini vestigiis. *Oecon. 1. c. 6.*

16 *Duplici acquirendi modo superius proposito; quorum altero ex fructibus terræ, altero ex propriis regionis acquiritur, tertius ab Aristotele adnectitur, qui in mercatura consistit. Pol. 1. c. 7.*

Hujus tres sunt partes: navigatio, devectio, negotiatio. Quæ quidem differunt inter se; cum alia tutiora sint; alia fructuosiora. Navigatio, per quam navigiis merces ex uno loco transportantur in alium, fructuosior est; sed minus tuta; quare, recte apud Tullium Offic. 1. Laco ille dicebat non sibi placere fortunam, quæ esset apta rudentibus. Devectio autem mercium terrestri itinere facienda, tuta magis est, quam lucri ferax. Tertia demum mercaturæ pars est, negotiatio; cum quis non operam impendit in mercaturam, sed pecuniam. Quartus acquirendi modus, fæneratio, quæ omnino improbatur. Quintus ex variarum artium ministeriis constat. Qui tres lucrandi modi quia præsidia degendæ vitæ, non tam petunt a natura, quam vel ab arte, vel ab industria, minus proprii ab Aristotele dicuntur, & tralatitii. Pol. 1. c. 7.

17 *Mercatura solet improbari, quod sordidum vitæ genus sit, & multis periculis expositum. Mercatura autem*

(Tullius lib. 1. de Offic.) si tenuis est, sordida putanda est; sin magna, & copiosa, multa undique apportans, multisque sine vanitate impartiens, non est admodum vituperanda. Atque etiam si satiata quæstu, vel contenta potius, ut sæpe ex alto in portum, ex ipso portu se in agros, possessionesque contulerit, videtur jure optimo posse laudari.

18 *Boni Oeconomi est, diversa negotia, diversis in locis instituta habere, ne omnium simul periculum subeatur.* Oecon. 1. c. 6.

19 *Copiam, inopiamque de communibus rebus benemeritas esse; id quod adumbratur a Platone nuptiis Peniæ, idest inopiæ, cum Poro Deo divitiarum.*

Fabula de auri inventione. Cum enim Peruviæ populi, multarum rerum ad vitam necessariarum summa inopia premerentur, interrogato Deæ Telluris oraculo, quid se facere juberet; responsoque accepto, si compotes voti fieri vellent, in ipsa communis parentis viscera violentas manus iniicerent; levatisque deinde benigniori Vatis interpretatione, injecta religione populis, quod montium latebræ, quæ viscera quædam terræ sunt, instrumentis ad id opportunis terebrandæ essent; ac quidquid in illis durioris materiæ lateret, tanquam ossa quædam igne purganda, ac late dissipanda præciperetur; montes effodiunt, aurum inveniunt, inque auro omnia, quod omnibus parandis sit opportunum. Interim Vates afflatu divino correptus, quædam prædicit de auro in nummum conflando; cujus proprius, ac præcipuus usus esset in commutandis rebus, devinciendaque hominum societate. Abundantibus enim, ut recte docet Aristoteles, (Pol. 1. c. 6.) aliqua re unis, qua alii indigerent; permutatioque rerum cum rebus, quæ prius in usu esset inter exiles familias, & paucarum

rerum

rerum indigentes, crescente deinde hominum multitudine, & rerum copia, cum incommoda, & multis vitiis exposita deprehenderetur, præsertim ob locorum distantiam, unde res aut petendæ essent, aut invehendæ; consensione facta nummus substitutus est, quo tanquam communi mensura res cum rebus adæquarentur. Nummus ex auro percutiendus, cæteris aliis, vel ex argento, vel cupro, vel ære conficiendis, multis partibus antecellit, nedum vel marinis conchis, vel pecudum pellibus, quibus apud barbaras gentes olim consignabatur pecunia; in eo enim excellentius conveniunt, quæ quatuor partes in optimo nummo desiderantur; pretium nimirum, minima moles, durities, raritas. Imagine vero Principis, aut aliqua publica nota consignatur, ut pecuniæ ponderandæ fastidio liberemur. Ibidem.

20 *Nonnulli bene occupandæ, & augendæ pecuniæ usus.*

21 *Fructuosæ sunt, verum multis periculis expositæ publicorum redditum administrationes, curationesque publicæ. Jus vendendi privatim aliquas res, remotis aliis, utile etiam ad augendam rem putatur. Quanquam hoc magis pertinere ad regiam, vel civilem Oeconomiam docet Aristoteles, quam ad privatam. Pol. 1. c. 7.*

22 *Vendendum prius, ac de pecunia indidem redacta emendum. Oecon. 1. c. 6.*

23 *Alphanus emunctæ naris mercator, ut est apud Tullium, vel optima nomina, non appellando, fieri deteriora dictitabat.*

24 *Sequitur quartus acquirendi modus ab Aristotele propositus, (Pol. 1. c. 7.) qui quidem ex variarum artium ministeriis conficitur. Qui quæstus liberales habendi sint, qui sordidi, quædam ab ipso præcipiuntur: sed satis sit, si dicamus inter artes, eas excellere, in quibus minimum*

sit vel corporis viribus, vel fortunæ loci; plurimum autem ingenio, & industria; eas vero viles & sordidas esse, in quibus aut sola voluptas quæritur, aut mens a dignioribus homine studiis plurimum abducitur. Illiberales autem, inquit Tullius de Offic. 1. & sordidi quæstus mercenariorum omnium, quorum opera, non quorum artes emuntur. Quibus autem artibus, aut plurimum mentis inest, aut non mediocris utilitas quæritur; ut Medicina, ut Architectura, ut doctrina morum excellens, hæ erunt iis, quorum ordini conveniunt, honestæ.

Id quod Thaletis Milesii exemplo comprobari potest; cui cum studium Philosophiæ tanquam minus utile ad rem faciendam esset objectum; cum magnam olearum penuriam ex astrorum peritia proximo anno consecuturam videret; easque viliter emisset, cum magna esset illarum copia; ac paullo post paullo pluris vendidisset, magnam sibi vim pecuniæ comparavit; ostenditque Philosophos, si rei faciendæ incumberent, eam augere posse, sed nolle, quod gravioribus, atque homine dignioribus studiis occupati eam negligerent. Pol. 1. c. 7.

25 *Ex liberali filiorum institutione honeste lucrari posse prudentem patremfamilias; modo ipsis non invitis varia vitæ genera assignentur, ut Aulica, Militaris, Oeconomica, vel etiam Forensis ad repellendas litium molestias.*

26 *Sed de toto hoc genere, de quærenda, de collocanda pecunia, etiam de utenda, commodius a quibusdam optimis viris ad medium Janum sedentibus, quam ab ullis Philosophis ulla in schola disputatur. (Tullius 2. de Offic.) Frequens enim erat ad forum Jani mercatorum conventus.*

27 *Fœneratio multis de causis ab Aristotele improbatur; & hanc acquirendi viam, nullo modo vult esse Oeconomicæ disciplinæ propriam, quod hujus præcipua pars sit, acquirere*

vere a natura, vel ab arte; munus illius proprium sit ab hominibus lucrum facere: & hinc jure odio habetur. Deinde quia fœneratio abutitur nummo ipso; qui quidem ad hoc institutus est, ut cum rebus vel naturalibus, vel arte factis, societatis tuendæ causa, commutari possit. In fœneratione autem, sola quæritur nummi cum nummo commutatio, augendo nummum per fœnus, sive usuram, quæ grece τόκος dicitur, idest partus, quod in ea nummus pariat nummum; qui non est in se fœcundus; sed tantummodo si commutationibus rerum inserviat. Pol. 1. c. 6. & 7.

Est autem nobilius, ac fructuosius fœnerandi genus, quo Deus ipse obligatur ad reddendam vicem; si largi simus, ac liberales erga pauperes. Quod duplici Elisæi exemplo demonstratur; qui, tum Sunamitidi, tum Sareptanæ viduæ sibi benigne facientibus gratus, ac liberalis fuit; dum earum alteri filium, non ita pridem extinctum revocavit ad vitam; alteri, insperata olei multiplicatione, tantum pecuniæ suggessit, ut solvendis nominibus superesset.

28 *Tanta erat soli Campani feracitas & ubertas; ut quidam (Tullius in Oratione de lege agraria) nulla pecuniæ conditione adduci potuerit, ut fundum quem in eo solo haberet, abalienaret; quod diceret, cum alios multos alibi possideret, solum ab eo se nunquam malum nuncium accepisse. At quanto feracior est, si rem diligenter attendas, fundus ille, qui in liberali erga calamitosos misericordia sit constitutus: ex quo non modo malus nunquam nuncius affertur; sed semper optimi: inter cæteros audiant illum regii Prophetæ Davidis. Psalmo 3.* Jucundus homo, qui miseretur & commodat, disponet sermones suos in judicio; quia in æternum non commovebitur.

29 *Altera libri pars; in qua de adeptis pridem pecuniis, non effundendis, sed parce modiceque administrandis, præcipitur. Pro quo valere debet illud Ovidii in Arte lib. 1.*

Nec minus est laudis, quam quærere, parta tueri;
Casus inest illic, hic erit artis opus.

Quid enim esset aliud, si pridem laboriose collectæ, non bono deinde modo servarentur pecuniæ, quam perforato cribro aquas haurire? quod vel apud inferos maximum est supplicii genus, quo Danai regis filiæ plectuntur. Oecon. 1. c. 6.

Pro quo prima regula sit: pedetentim a quæstu recedendum; nec fortunam tentandam diutius, quæ incerta ac fallax est.

30 *Altera regula sit: cum vita quærendis divitiis occupata expers quietis sit, & violenta, (Eth.1.c.5.) pecuniis ante partis, moderate utendum, ac fruendum esse.* Oecon. 1. c. 6.

31 *Tertia regula sit: amor & charitas erga filios, quæ in parentum animis a natura ipsa insculpitur, quæ cura exsuscitat animos, & majores ad rem gerendam facit.* Tull. Offic. 1.

32 *Divitiæ jure sunt expetendæ; quod eas causas, quibus vulgo peccari solet, procul amoveant. Deinde, quod liberalius institui possint filii apud nummatos parentes, & commodius, quam apud pauperes. Eaque de causa, ingenui habentur & nobiles, quibus pervetustæ, & bene fundatæ opes contigerunt. Pol. 4. c. 8. & alibi.*

33 *A litibus non necessariis abstinendum. Memini me legere, Mutium quendam Auriculam insignem fuisse in procurandis caussis, maximeque litigiosum actorem. Hujus generis homines, aure minores caussidici appellantur a Sectano in suis Satyris.*

34 Ca-

34 *Cavendum quoque a Theatrorum, & quibusdam cantiuncularum ineptiis, ab alearum ludo, luxuque omni, quo tanquam profundissima Charibdi honestissimæ sæpe familiæ absorbentur. Meminerint denique omnes qui rei familiari student, aureæ illius sententiæ*: Res familiaris quæri debet his rebus, a quibus abest turpitudo, conservari autem diligentia, ac parsimonia, atque iisdem rebus augeri. *Tull. Offic.* 1.

35 *Suburbanum rus fortunatorum, ac divitum villis jure anteponendum; cum non speciosa magis, quam fructuosa Oeconomus sequi debeat: (Oecon.* 1. *c.* 6.) *tum quia vectigalia urbana rusticis, tum ad speciem, tum ad quæstum anteferenda sunt. Tull. Offic.* 2.

36 *In suburbanum igitur suum se recipiens diligens, ac frugi paterfamilias secum commentetur, qua ratione in dies parciore sumptu victitare possit; num præstet pro rebus nummos solvere, an contra res pro nummis. Oecon.* 2. *c. unico apud Donatum Veronensem.*

Cordatorum senum dicta, quæ inter legendum Oeconomicos libros occurrunt, aut aliunde audiverit, notet, & meminerit. (Pol. 1. *c.* 7.) *Ne proventibus ipsis majores sumptus fiant, mordicus statuat apud se: quo neglecto monitu florentissimas familias funditus interire necesse sit. Oecon.* 2. *c. unico apud Donatum Veronensem.*

37 *Bene apud Comicum multa se commoda percipere ex suburbanitate sui prædioli dictitabat ille (Terent. in Eun. Sc.* 6. *Act.* 5.) *quod cum eum urbis tædium caperet, rus secederet, cum ruris fastidium subiret, in urbem se conferret. Quod tamen male evenire illis re, usuque compertum est, qui luxu, apparatuque ultra vires magnifico, dum sumptus sumptibus aggerant, alieno ære confecti, sero parsimoniæ student; atque in sua tandem rura inviti discedunt,*

dunt, repugnanteſque; quod malum multo ante prævertere, ſapientis Oeconomi eſt, ac multum in poſterum providentis.

38 *Peregrinis quibuſdam uſibus, qui in Italiam noſtram continenti quaſi lue invaſerunt; quibus nihil aliud quæritur, quam pecuniam abradere, ac nervos omnes virtutis incidere, reſiſtendum; aut illorum vanitatem prudenter corrigendam.*

39 *Uxor, filiique in officio continendi, ne rem laborioſe partam turpiter effundant, ac perdant.*

40 *De teſtamento tempeſtive faciendo cohortatio ad parentes, ut rebus rite compoſitis, pacatè diſcedant ex hac vita.*

41 *De herili in ſervos imperio. Hos duplicis generis facit Ariſtoteles, alteros natura ſervos, alteros jure gentium. (Pol. l. c. 3. & 4.) Naturâ ſervi dicti, quibus ob hebetudinem mentis, cum ſeipſos regere non poſſint, expedit ipſis, ut aliis pareant: naturâ enim comparatum eſt, ut deterius ſit gratiâ melioris. Sic appetitus, quia inferior animo eſt, ſeque ipſum ſine prolapſione regere non poteſt, rationi ſervire debet, ac quanto magis ſervit, melior eſt. Jure gentium ſervi dicebantur bello capti, aut pecunia empti, aut alia quavis pactione: his opus, cibus, caſtigatio debebatur. Sed quia ſine ſpe præmii in deterius prolabi ſolent homines; ſi ſervitutem bene ſervirent, libertate donandi erant. Oecon. l. c. 5.*

Cum vero efferatam hanc Ethnicorum conſuetudinem bello captos in ſervitutem redigendi, Chriſtiana manſuetudo exceperit, ac temperaverit; ſervis nunc utimur alterius generis, quos famulos appellamus; qui mercede conducti operam locant ſuam pro aliquibus vitæ miniſteriis, non pro omnibus; in quos dominatus multo difficilior eſt, quod vafri plerumque ſint, & refractarii, atque eodem, quo domini ipſi, libertatis munere ornati; itaque

cum

cum valentibus pugnandum est, non cum iis, quos diuturna servitus, compedesque molliverunt. Quadrare tamen possunt in illos persæpe, quæ Tullius *habet in Orat. pro Lucio Flacco*: Phrygem plagis fieri solere meliorem — Si quid cum periculo experiri velis, in Chare id potissimum faciundum — Quis unquam Græcus comœdiam scripsit, in qua servus primarum partium non Lydus esset? &c. *Hic tamen promiscue nunc servos, nunc famulos usurpamus.*

42 *In horum etiam delectu, spectanda quædam sunt, quæ in servis primi generis spectanda docet Aristoteles: (Oecon. 1. c. 5.) ne largior iis vini potus tribuatur: ne aut nimis timidi sint, aut nimis robusti; quod primi non ferant laborem; & ferocibus non commode imperetur. Ne sint plures ejusdem gentis; dissidia inter illos non ferenda; ne plus nimio delatores sint; non nimis denique aut rigide habendos, aut indulgenter. Oecon. 1. c. 5. & alibi.*

43 *Dædalum, & Vulcanum instrumentis usos alatis, & ad nutum artificis se moventibus, ex Homero refert Arist. Pol. 1. c. 3.*

44 *Navis ac diligentibus administris pro merito cujusque domum esse committendam; rationemque instrumentorum, ac domesticæ supellectilis, quæ eorum curæ credita sit, crebro ab iis repetendam; servandumque illud Laconicum præceptum, ut ea, quorum rarior usus in familia sit, separentur ab iis, quorum usus est frequentior; præterea iis in locis eo ordine collocanda, ut inveniantur facillime. Oecon. 1. c. 6.*

In magnis familiis Janitor esse debet, qui diligenter observet, quæ asportentur, quæque in domum inferantur; quique sit ad cætera inutilis. Ibidem.

In domo parandi, cujus finis (*Tullius lib.* 1. *de Offic.*) est usus, *rationem habendam commoditatis, & salubritatis; sic, ut recte sit, cum rebus possessis, tum hominibus. In exilioribus familiis nullam esse penum instituendam; sed emendum in dies. Oecon.* 1. *c.* 6.

Ædes describendæ sunt in cubicula, in aulas, in ambulacra; tum in loca quædam excipiendis hospitibus opportuna. Feminæ in suis Gynecæis collocandæ in loco a maribus disjuncto; ancillæque absint a servulis quã longissime.

Salubres erunt ædes, si averso Borea fuerint; & per æstatem ventorum afflatum, per hyemem Solem recipiant.

Nec domum, nec urbem incustoditam esse decet; pro quo Oeconomus, ultimus se cubitum recipiat; primus expergiscatur. Id quod, tum rei faciendæ, tum valetudini, tum etiam Philosophiæ studiis apprime utile est. Oecon. 1. *c.* 6. *& alibi.*

Denique si mentio hic fit de tribus libellis a me editis; etsi duo jam typis excusi sint, idest primus de Vita Urbana, & præsens qui de Vita Oeconomica est; tertium de Vita Aulica frustra requires; quia nondum prodiit; sed cum brevi, ut spero, proditurus sit, libuit hunc quoque duobus primis attexere.

FINIS.

ERRA-

ERRATA.	CORRIGE.
p. 34. v. 3. ſemiviva	maleviva
p. 40. v. 1. Ipſa	Cauſa
p. 67. v. 27. obnubit denticulatus acer	obnubens fortia munit acer
p. 73. v. 11. Levinus	Creſinus
p. 75. v. 18. regant	levent
p. 77. v. 20. Tonſilis impexâ	Cædua ſublimi
p. 96. v. 22. ne	ut

A





